



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

Liber CLVI.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)



Pisciaccense Colloquium.

Nauber sc. A. 9.

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CLVI.



PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS,
FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

*Nuntii in Germania pro convocando
Concilio.*

Interea negotium, quod Synodum paulo post Tridenti restaurandam concernebat, haud parum Pontificis animi distentum reddebat; jamjam enim

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

*Pallav hist.
Conc. Trid.
l. 15 c. 2. n. 1.*

Hist. Eccles. Tom. XLIV. A illa

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

illa edito diplomate Pontificio ad proximam Paschatis hebdomadam currentis anni quingentesimi sexagesimi primi supra millesimum erat indicta, atque ipsemet Pontifex hanc in rem suos nominabat Nuntios, qui ejus Bullam ad cunctos Principes tam Catholicos, quam Protestantes deferrent, quos inter in Germaniam destinati jam Mense Decembri discefferant, eorumque erant duo Zacharias Delphinus Pharæ in Dalmatia Episcopus, necnon Joannes Franciscus Commendonus Zacynthinus Antistes; porro dudum jam Stanislaus Hosius natione Polonus, ac Varmix Episcopus ad idem regnum profectus in Cæsaris aulam venerat, ibidem subsistere jussus: donec vero hi ambo pariter adventarent, illi, qui jam aderant, de opportunis remediis inter se conferebant.

§. II.

Papæ Nuntii ad Cæsaris alloquium admissi.

*Pallav. l. 8.
num. 3.
Anton. Mar.
Gratiani in
vita Commend.
l. 2.
cap. 1.*

Alterâ die Pontificis Nuntii ad Cæsaris palatium deducebantur, atque præ reliquis præcipue Commendonus perbenigne exceptus erat a Ferdinando, cui literas sibi a Papa commissas tradidit, paucisque Pii IV. mentem exponens hæc effatus est: „Tandem sumus

„mus Pontifex, ut tumultibus propter
 „hærefes magis, magisque indies in-
 „valescentibus obicem poneret, Gene-
 „rale Concilium Tridenti celebrare con-
 „stituit, ut errores, qui Europam in-
 „tot sectas scindunt, dissipentur, firma-
 „taque pace fides, & disciplina ad pri-
 „stinam puritatem revocentur, atque
 „illi, qui damnatis suis opinionibus per-
 „tinaciter adhærent, a veris fidelibus
 „dignoscantur. Hanc in rem promul-
 „gatis literis Apostolicis omnes Chri-
 „stiani Orbis Principes generatim invi-
 „tabat Pontifex, nunc vero speciali
 „favore, ac singulari in Germaniam af-
 „fectu eo insuper me, ac Pharensem
 „Episcopum ablegare voluit, ut cunctos
 „Principes, omnes liberas urbes, totum-
 „que Imperium ad celebrandam Syno-
 „dum, ac componenda Christianæ Rei-
 „publicæ negotia hortaremur: porro
 „ut majori cum facilitate res peraga-
 „tur, ac quilibet absque ullo timore
 „procedere valeat, in futuro Concilio
 „integram securitatem dominari, omni-
 „busque suas querelas, vel dubia expo-
 „nendi libertatem concedi, enixe ex-
 „optat Pontifex, Cæsaremque rogat,
 „ut protinus suos ableget Oratores, qui
 „hujus Synodi initio intersint, suaque
 „auctoritate, ac consiliis piam Pontifi-
 „cis voluntatem suffulciant.

Sæcul. XVI.
 A C. 1561.

A 2

§. III.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. III.

Cæsar Nuntiorum postulata sibi scripto tradi postulans.

Pallav. l. c.
n. 3. & 4.

Postea Cæsar perceptis Nuntiorum sermonibus eosdem rogabat, ut sua postulata ei scriptotenus traderent: verum Nuntii id concedere disertis prohibebantur verbis; quippe summus Pontifex, ne variis responsis ultro, citroque datis sibi molestiam accerferet, Legatis suis speciatim injungebat, ne præter ipsius Bullam, literasque quicquam aliud scripto producerent: cum autem Cæsar insuperhabitis Nuntiorum rationibus, quas ad vindicandam suam repulsam proferebant, suæ petitioni pressius insisteret, hi, quid consilii caperent, mutuo deliberabant, ac serio perpendentes, quod longior pertinacia Cæsarum animum reddere alienum, totumque negotium prospero successu frustrari posset, tandem breve admodum scriptum proferebant, in quo Pontificis studium, ac paternum in omnes Christianos etiam ab Ecclesia segregatos, ac divulsos affectum testabantur, exponentes, quod Papa jam sæpius suos ablegasset Nuntios, ut dispersas oves eo promptius ad ovile revocaret. His addebant, quod cetera satis ample in summi Pontificis diplomate, necnon in Cæsa-

Cæsaris literis, atque in alia epistola eidem tradita forent exposita. Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. IV.

Cæsaris responsum ad Nuntiorum postulata.

Attamen ad hoc scriptum Cæsar hunc in modum respondit: „Pontificis consilium, de quo uterque Nuntius me certiore reddidit, summopere gratum, ratumque habeo, palamque testor, quod semper obedientiam, ac submissionem Sacræ Sedi debitam reddere, atque in eadem hac occasione omne obsequium expectatione majus præstare paratus sim: insuper mihi persuasum habeo, quod Principibus Catholicis ad Synodum alliciendis nova hortatione calcar addere supervacaneum sit: Protestantes vero Principes jam facti sunt certiores, quod Pontifex Synodum convocare statuisset, quinimo ipsimet jamjam conventum agere decreverunt, ut ibidem mutuo hac super re deliberarent, hinc Naumburgum Misniæ oppidum ad decimam quartam Januarii diem venire statuerunt: cum vero eos abs dubio Synodo nonnisi propositis conditionibus durissimis, quas vos minime ignoratis, consensus prævideam, meum hac in re consilium foret, ut vos ipsimet hosce Principes

Pallav. u. 4.

Gentiani. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„cipes ibidem congregatos accedatis,
 „cunctosque generatim adhortantes
 „quid de singulis sperandum, explore-
 „tis, ac præcipue cum omni mansue-
 „tudine, raraque dexteritate rem per-
 „agatis, ne intempestiva severitate animi
 „jam aliunde nimium ad seditionem
 „propensi magis exacerbentur: de ce-
 „tero fidem vobis facio, quod Viros ad
 „tanti moliminis negotium omni data
 „occasione idoneos transmissurus sim,
 „suadeo tamen, ut iter vestrum acce-
 „lerare velitis; proxime enim Naum-
 „burgensis colloquii paucis post diebus
 „solvendi tempus instat: rogo insuper;
 „ut illuc pertranseuntes Ferdinandum
 „Filiū meum Pragæ agentem invi-
 „sere velitis; hic enim vobis quædam
 „communicabit, juxta quæ vestram
 „agendi rationem instituere poteritis:
 „denique me de Principum responsis
 „prompte edoceatis velim, ut negotia
 „ad felicem successum dirigendi, ac Re-
 „ligionis commodum promovendi me-
 „dia magis opportuna arripere valeam.

Verum hoc iter aggrediendi consi-
 lium minus probabatur Commendano;
 præviderat enim, haud adeo expedi-
 tum esse, ut cum hisce Principibus una
 congregatis seorsim agere, eosque ac-
 cedere valeret: aliunde haud ignora-
 bat, unicum eos ad officium redigendi
 medium

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

medium supereffe, si unio inter eos conflata dissolveretur, id vero prævidebat haud obtinendum in quodam conventu, ubi omnes pro communi utilitate colligati ad unum, eundemque finem collimare videntur: nihilominus Nuntii consilio Cæsaris, ac pia Bohemæ Regis Filii ejus voluntate expugnati iter aggredi statuebant, eo potissimum nomine, quod temporis angustia Papam desuper consultandi spatium præriperent, atque aliunde fatis sibi perspectum haberent, quod ex articulis in Naumburgensi conventu agitandis præcipuus esset, an, & sub quibus denique conditionibus ad Synodum accedere expediret.

Insuper Imperator præter ea, quæ in scripto ejus responso continebantur, speciatim Pontificiis Nuntiis quatuor insinuabat capita, & quidem I. eis suadebat, ut omnem Protestantium Principibus suspicionem adimerent, perinde ac si Pontifex præteritam Synodum continuare velit: II. illis injungebat, ut declararent, quod illud tempus pro convocando Concilio valde ambiguum, atque a Papa in favorem Galliarum Regis abbreviatum esset. III. lisdem consulebat, ut Protestantes certos facerent de amplioribus securitatis tabulis iisdem concedendis IV. denique Cæsar Legatos

A 4

admo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

admonuit, quod negotia per scripturas agendi consuetudo esset, ac proin oporteret eundem quoque morem in comitiis servare. Ad hæc Commendonus ita respondit: de continuanda Synodo mentionem haud sum factururus, nec in Germaniam veni cum Protestantibus disputandi, sed eos ad Synodum invitandi animo: quod vero ad tempus attinet, studet Pontifex festinationi, ut eo citius malo remedium adhibeatur: porro securitatis literæ Protestantibus, quales ipsimet desiderabunt, amplissimæ exhibebuntur: ceterum quartum articulum exequi haud possum, eo quod negotia per libellos pertractare disertis verbis a Papa prohibiti fuerimus.

§. V.

Nuntii Vienna Naumburgum profecti.

Thuan. l. 28. num. 8.
Pallav. n. 9.
Gratiani l. c.

Itaque Papæ Nuntii die decima quarta Januarii Vienna proficiscuntur, comitantibus eos ex Cæsaris mandato Ottone Comite de Eberstein, Felice Bogilasio Barone de Affenstein, & Guilielmo Meela Bohemiæ Pro-Cancellario, qui septimo itineris sui die Pragmam delati a Ferdinando Archiduce secundo-genito Cæsaris Filio perbenigne excipiebantur, tandem vero nivium, ac glaciei inclementiam superantes per Bohe-

Bohemix Sylvas die vigesima octava Sæcul. XIV.
 ejusdem Mensis Januarii iniquissimo A.C. 1561.
 prorsus tempore Naumburgum pervene-
 runt. Aderant ibidem cuncti Principes
 una congregati, excepto Joanne Fride-
 rico Saxone Vinariensi Duce, qui jam
 inde discesserat: verum ceteri Princi-
 pes nullum omnino, qui adventantes
 exciperet, obviam mittebant, quinimo
 nullo obsequii genere, vel hospitii ho-
 nore illos dignabantur: nihilominus
 Nuntii exacto biduo rerum conditionem
 explorantes ad Palatinum Rheni Comi-
 tem, & Saxonix Ducem ambos S. R.
 Imperii Electores quemdam ablegabant,
 ad privatum colloquium admitti postu-
 lantes: ast eisdem in responsis datum:
 „pro communi caussa congregati sumus,
 „proin seorsim nihil decidere possumus;
 „rem tamen in ceterorum confessu pro-
 „ponemus, & de iis, quæ ibidem con-
 „cludentur, Nuntios reddemus certio-
 „res. Interim res usque ad quartam
 Februarii diem protrahebatur, tandem
 vero eisdem nuntiatum, quod altera
 die ad publicum alloquium in conventu
 admittendi, atque audiendi sint. Equi-
 dem Nuntii, an publici hujus alloquii
 copiam acceptarent, aliquamdiu delibe-
 rabant, veriti tamen, ne cum congre-
 gatis conferendi opportunitate neglecta,
 nequidem a ceteris Germanix Principi-
 bus

Sæc. XVI

A.C. 1561

bus exciperentur, hinc occasionem ipsis oblatam respuere haud consultum censebant.

§. VI.

Nuntii a Protestantibus congregatis publice auditi.

*Pallav. c. 2.
num. 10.
Gratian. l. c.*

Quapropter die quinta Februarii matutino tempore Palatinus æque, ac Saxoniae Elector, quatuor ex illis, quos a consiliis habebant, unacum armatorum Satellitum cohorte mittunt, ut Papæ Nuntios ad Conventus locum deducerent: igitur hi paratum conscendunt currum, quo tamen vehi Consiliarii renuebant, sed pedestri potius comitatu eos præcedebant: porro quamprimum advenerant, ad quamdam aulam minime amplam, in qua pro more illius Regionis parva fornax erat, deducebantur, ubi Principes, eorum liberos, necnon Cancellarios, aliosque spectabiles viros præter eos, qui Principibus a secretis erant, congregatos invenerunt: ingressi itaque Nuntii nullo amicitiae, aut urbanitatis signo honorabantur, ac nequidem ipsis dextera officiose pro more porrigebatur, quinimodostantes, ac detecto capite aliquamdiu permanere fuerunt coacti: ceterum hic ordo ab illis servabatur: præprimis duo Electores in parvo quodam subsellio confide-

fidebant, eosque aliquantulo remotior
 fequebatur Brandeburgici Electoris Ora-
 tor, tum vero reliqui in diversis Sedi-
 bus suo quisque ordine, ac dignitate
 sedebant Legati. His igitur Nuntii
 Papæ literas, necnon diplomatis, quo
 Synodus indicebatur, apographum tra-
 debant.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1561.

§. VII.

*Delphini Nuntii oratio in hisce co-
 mitiis.*

Porrectis hisce literis, cunctisque con-
 fidentibus Delphinus ceteris prior
 hunc in modum perorare cœperat, ac
 præprimis breviter iis, quæ in Diplo-
 mate continentur, recensitis caussas
 Pontificem ad celebrandam Synodum
 impellentes enarrabat, tandemque hæc
 subjungebat: „Pius IV. summus Ponti-
 „fex intra charitatis suæ viscera incly-
 „tam Nationem Germanicam semper
 „complectens vehementi desiderio illius
 „concordiam, ac tranquillitatem exoptat;
 „eapropter nos duos ablegavit Nun-
 „tios, qui Principes hortaremur, roga-
 „remus, stimularemusque, ut & ipsi
 „huic negotio adlaborare velint, cum
 „certum sit, cuncta in Concilio cum
 „summa pace, mansuetudine, ac cha-
 „ritate peractum iri: insuper id in hac
 „Synodo tantummodo curandum, ut
 iis

Pallav. l. 15.
 c. 3. n. 1.

Sæcul. XVI. „iis comprobatis, quæ approbari fas
A.C. 1561. „est, damnatisque, quæ damnari oportet, schisma tanto jam tempore Ecclesiam scindens tandem tollatur, atque unitas restituatur. Studeant proin Sacri Romani Imperii Principes tam piæ hoc opus promovere, missis ad Synodum Procuratoribus suis, cum paratus sit Pontifex publicas illis securitatis literas, quam maxime amplè unquam dari possunt, impertiri, ut diffidia, quæ Principes tamdiu jam collidebant, sedentur, una persistat fides, suusque Ecclesiæ splendor redatur.

§. VIII.

Alia Commendoni oratio in eodem hoc Conventu.

Pallav. cap. 7. num. 2. Flechier vie de Commend. p. 127. **A**bsoluta Delphini oratione Commendonus verba faciens hæc Principibus exposuit: „nullum tempus celebrando Concilio magis opportunum videtur, quam illud, quo pax inter Hispaniam, & Franciam restituta viget: insuper Deus Ecclesiæ suæ talem concessit summum Pontificem, cui unicum studium, ac sollicitudo in eo sita est, ut Dei cultus reparetur, ac Religio suæ integritati restituatur: si vero nonnullæ corruptelæ fidei Christianæ dignitati adversantes in publicos ritus irrepse-

„irrepperint, illas abolere paratum sese
 „exhibet Pontifex: porro quod laben- Sæcul. XVI.
A. C. 1561.
 „tem disciplinam, morumque corruptio-
 „nem attinet, illos abusus emendare, at-
 „que ad veteris disciplinæ normam redu-
 „cere studebit: unde hujus Concilii, quo
 „præteritæ ætatis fides, pietasque re-
 „vocabitur, celebratio ab omnibus Christi
 „fidelibus non sine ingenti lætitia est
 „excipienda, atque illi etiam, qui vel
 „propriis suis erroribus, vel quorum-
 „dam Doctorum in suo sensu abundan-
 „tium persuasionibus seducti, atque Sa-
 „cri Codicis auctoritate abutentes no-
 „vis opinionibus infecti sunt, de pro-
 „xima Synodo lætandi argumentum
 „nanciscentur: præcipue cum hominum
 „salus a fide, & doctrinis, quæ ex di-
 „vino oraculo profluunt, dependeat.
 „porro ea fides nullatenus vera esse va-
 „let, nisi sit una, nec juxta privato-
 „rum quorundam affectum, vel insanam,
 „quam aliqui habent, sentiendi liberta-
 „tem dimetienda venit, sed potius ex
 „universalis Ecclesiæ consensu Sacris
 „litteris comprobato haurienda, ac veri-
 „tas nullo pacto securius inquire, ac
 „certius explicari potest, nisi in Gene-
 „rali Concilio, ad quod doctissimi juxta,
 „ac sanctissimi totius Europæ Viri con-
 „fluunt, nihilque aggrediuntur, nisi
 „prius per assiduas preces, ac Sacrifi-
 „cia

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

„cia Dei opem imploraverint, cuncta-
„que juxta conscientiae suae præcepta,
„atque interiorum Spiritus Sancti affla-
„tum agere studebunt.,,

His addebat: „urgente malo reme-
„dium haud est differendum: res enim
„indies in pejora ruunt, maximum-
„que imminet periculum, eoquod No-
„vitatum Authores Evangelii præcepta,
„& dogmata ad suum sensum detor-
„quendi, ac depravandi auctoritatem
„sibi arrogent, ac rudioris populi ap-
„plausum captantes multitudinis fa-
„vorem, ac potentia errores suos stabi-
„liant: his vero armis instructi ipsa Re-
„ligionis fundamenta labefactant, atque
„hoc pacto enervata legum, ac Eccle-
„siae consuetudinum auctoritate tumul-
„tibus, quorum sat funesta habetur
„experientia, ansam præbent: cum
„autem Religio nequaquam hominum
„commento, sed ipsius Dei institutioni
„innitatur, ea nullo pacto immutari,
„mutilari, aut ad privatum quorundam
„sensum detorqueri valet, quin tales
„criminis omnium maximi reatum co-
„ram Deo incurrant, atque sese in cœ-
„citatem, impietatem, & seditionem
„præcipites agant; si enim cuivis sacros
„libros pro suo genio interpretari, ac
„privatas suas opiniones tanquam veras
„venditare liberum foret, tot denique
in

„in fidei rebus sententiæ, quot capita
„essent.,, Sæc. XVI.
A.C. 1561.

His ita prolatis Commendonus quædam primorum sæculorum exempla proferens Principibus hæc exposuit. „Edocti sumus veritates, quas Sancti Viri ab ipso Deo hauserunt, easque effuso sanguine suo confirmarunt; hi vero tantopere ab ausibus tam superbis erant alieni, ut exortis inter Alexandriæ Christianos quibusdam dubiis circa legem Mosaicam Paulus, & Barnabas nihil decidere auderent, sed Jerosolymam pergentes controversiam in Apostolorum Synodo proponerent, atque ejus decisioni starent: inde autem ad nos promanabat firma fides, ac Christianæ Religionis unitas, cum aliorum Religio semper vacillaret, assidueque mutationibus esset obnoxia; Dei enim cultus immotis ejusmodi principiis innixus longa sæculorum serie solidatur: ex adverso autem hominum commenta, quæ non nisi ex sentiendi libertate pululant, temporis progressu evanescent: eapropter cum invalesceret effrœnis hæc licentia, temeritati, atque humani ingenii arrogantiae limites statui haud poterant: luxuriantes enim ejusmodi homines sese in profundam impietatis abyssum immergere haud ultra verebantur, unde

unde

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„unde nil magis certum videtur, nisi
 „quod illi, qui de errore in errorem im-
 „pune prouunt, & obvias quasque no-
 „vitates amplectuntur, tandem mutata
 „sæpius fide paulo post omnem abji-
 „ciant Religionem: hisce ergo dissen-
 „sionibus remedium est opponendum,
 „ac sollicitè cavendum, ne hæc pestis
 „se se latius diffundat, omnesque Chri-
 „stiani orbis partes inficiat, præcipue
 „cum Deus nobis iratus, atque Europa
 „in plures sectas, quarum una alteri
 „adversatur, scissa sit, atque interea
 „Turca juratus Christiani Nominis
 „hostis sua potentia inflatus, atque
 „infaustis nostris dissidiis suffultus no-
 „bilibioribus nostris Provinciis ruinam,
 „excidiumque minitetur: rogo itaque
 „vos omnes, ut ad Synodum vestros
 „ablegetis Oratores, qui sua dubia,
 „rationesque proponant, ob quas schis-
 „ma hoc conflare, vosque a nobis se-
 „gregare volueritis.,

§. IX.

*Principum responsio ad utriusque
 Nuntii orationes.*

Pallav. c. 3.
num. 3. l. 4.

Ambobus hisce Nuntiis ita peroranti-
 bus, multi Principes ab eis prolata
 summatim in suis libellis annotabant;
 absolutis autem hisce sermonibus iidem
 Prin-

Principes inter se aliquamdiu submissa voce collocuti, Electoris Palatini Cancellario injunxerunt, ut hoc responsum daret. *Illustrissimi Principes audierunt, quæ a vobis nomine Romani Pontificis exposita sunt, & quoniam negotium arduum est, nolunt in præsentia decernere: convenient tamen inter se, ac postea respondebunt: gratum interim ipsis foret, si, quæ locuti estis, scripto illis exhibere velletis.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Ad hæc responderunt Nuntii: satis Pontificis mens patefacta fuit in Concilii diplomate, necnon in literis ad Cæsarem missis: aliunde vero jussi sumus, ne scriptum aliud tradamus. Perceptis his verbis, post breve pariter colloquium inter se habitum submissa voce Principes acquievere, & Nuntii honorifice dimissi, eodemque deducti comitatu, suas in ædes abiere. Ast vix horæ quadrans præterierat, cum illico nomine Principum advenerant Consiliarii, qui literas a Papa eorum Domino perscriptas Nuntiis tradiderunt, hæc addentes: „Magnifici Domini, Principes nostri exiguo illo tempore, quo vobiscum versabantur, conspicati non sunt ea verba in literis Pontificiis, „*Dilecto Filio*, quoniam ea involucro obtecta erant, sed postquam animadvertunt, se a Romano Pontifice filios

Hist. Eccles. Tom. XLIV. B voca-

Sæc. XVI. „vocari, rebus a vobis propositis nihil
A. C. 1561. „esse respondendum censuerunt.,,

His autem reponerat Commendatus: „Sanctitas sua erga vos ita sese gerit, prout omnes Christiani Orbis Principes habere, consuetudo fert; sequitur enim morem semper ab ejus Prædecessoribus servatum.,, Verum Legati insuperhabita hac responsione relictis in mensa literis Pontificiis, nec non diplomate pro convocanda Synodo edito recesserunt.

§. X.

Contumeliosa Protestantium oratio ad utrumque Pontificis Nuntium.

Pallav. c. 3. num. 5.
Gratian. in vita Commend. l. 2. cap. 3.
Ex indigna hac agendi ratione Nuntii haud obscure colligebant, eorum operam incassum impendi, eo quod Principes Papæ literas, quibus auctoritatis ipsis concessæ diploma erat inclusum, perlegere renuissent: nihilominus biduo post, seu septima Februarii die Nuntios convenere decem Consilarii Principum, quos Protestantium quamplurimi comitabantur, atque inter eos quidam nomine Gregorius Cracovius vir doctus, ac Saxonix Electori valde familiaris prolixum habuit sermonem, in quo summatim hæc proferebat: „Principes minime dubitant, quin cunctis in nationibus reperiantur viri pii, qui

„qui expeterent, Evangelii lucem, can-
 „doremque doctrinæ restitui, auferri-
 „que pravæ consuetudines, quas oportu-
 „tuisset a Pontifice Romano penitus nunc
 „fuisse deterfas, præcipue in regionibus
 „sibi subjectis: attamen aperte cognos-
 „citur, quænam fuerint hujusmodi
 „Pontificum consilia, ad dominatus,
 „utilitatesque proprias conversa, &
 „quantis superstitionum, errorumque
 „tenebris Evangelium illi obduxissent:
 „idcirco coacti fuere Principes ab or-
 „dinaria potestate secedere, lucem ex-
 „quirere, puramque doctrinam haurire
 „ab ipso Dei verbo, cui sine dubio in-
 „hærent secundum primam Augusta-
 „nam confessionem: quod vero spectat
 „ad præsentem Nuntiorum legationem,
 „& ad ea, quæ nomine Romani Pon-
 „tificis a vobis exponuntur, visum Prin-
 „cipibus fuit, hanc esse responsionem
 „reddendam: scilicet mirantur, quo pacto
 „ausus ille fuisset legationem ad ipsos
 „mittere; non enim hi approbant illius
 „auctoritatem, nec in ulla alia re, mi-
 „nus vero in Concilio indicendo: cum
 „unicum Dominum in terris agnoscant,
 „nimirum Cæsarem, cui soli tanquam
 „supremo suo Principi parere volunt.,,

„Immerito, prosequatur Craco-
 „vius, nobis objectatis, quod nimia
 „levitate novas indies opiniones sequa-
 „mur,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„mur, ac cæco impetu in plures sectas
 „sibi invicem pugnantes scindamur, om-
 „nes enim Confessionem Augustanam,
 „eandemque doctrinam sequimur, at-
 „que omnes etiam illi fidei normæ Au-
 „gustæ Caroli V. Cæsaris jussu confectæ
 „subscribimus: vobis autem nostri Prin-
 „cipes declarant, quod ab ea doctrina
 „nunquam recessuri, minus vero un-
 „quam permiffuri sint, ut Pontifex eis
 „legem præscribat: noster enim Prin-
 „ceps, & caput est Imperator, qui si-
 „mul omnium controversiarum, quæ
 „in Christiana Republica oriuntur, ar-
 „biter est, & judex, & ad illum so-
 „lum spectat, legitima convocare Con-
 „cilia: hinc quamprimum illius Ora-
 „tores advenerint, nostri Principes cum
 „illis hac super re agent, interea nul-
 „lum cum Papa commercium habere
 „decreverunt. Vos autem, cum ex
 „illustrissimis Venetorum familiis fatos,
 „necnon propriis virtutum, ac sapien-
 „tiæ meritis insignes noscunt, Princi-
 „pes nostri magno in pretio, ac vene-
 „ratione habent, vobisque publicas
 „honorum testificationes exhiberent, si
 „duntaxat tanquam privati Nobiles,
 „non autem Papæ Ministri advenisse-
 „tis ad Synodum, cui nullam præstare
 „obedientiam decreverunt Principes,
 „cum ipsis persuasum sit, quod nullum
 quoque

„quoque illam convocandi jus Pontifici
 „competat, nec sese tanquam contro-
 „versiarum, atque Ecclesiæ dissensio-
 „num arbitrum constituere valeat, eo-
 „quod omnium horum schismatum o-
 „rigo sit: minus vero semetipsum cre-
 „dat veritatis iudicem, qui eandem im-
 „pugnat, ac præ cæteris atrocius con-
 „temnit. „

Sæc. XVI.
 A.C. 1561.

§. XI.

*Commendoni responsum ad hanc
 orationem.*

Injuriosa hæc Cracovii oratio haud pa- *Pallav. &*
 rum commovebat Nuntios, qui ali- *Gratian. l. c.*
 quamdiu deliberabant, an hæc calu-
 mnyas responso confutare, operæ pre-
 tium foret, tandem vero Commendo-
 nus verba faciens hæc respondit: „Mi-
 „sit nos Pontifex Romanus tanquam
 „suos Nuncios ad Germaniæ Principes
 „pro eo, quo fungitur pastoris univer-
 „saliæ Ecclesiæ munere, vi cuius singu-
 „lorum salutem ex animo complectitur;
 „id vero peractum ab illo est ea men-
 „te, atque illud ipsum bonum assequen-
 „di gratia, quod ipsi Principes in suis
 „Conventibus procurare decreverant:
 „hinc nihil in hoc opere videtur, quod
 „posset admirationem excitare: Conci-
 „lium enim fuit a Pontifice indictum ea
 „forma, quam perpetuo servavit Eccle-

B 3

„ fia

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„sua Sancto Spiritu afflata; cum nec
 „vulnera Ecclesiæ inflictæ sanari, neque
 „ubi necesse foret, restitui vetus nostro-
 „rum Patrum disciplina posset, nisi per
 „rationem ab ipsis exhibitam: de ce-
 „tero horum conventuum Sanctitas, ac
 „Majestas omni tempore magni fuit ha-
 „bita: imo & ipsimet, qui aut errore,
 „aut credulitate decepti sese ab unita-
 „te segregarunt, semper tamen eorum
 „decisiones velut oracula, ac mandata
 „de cœlo data venerati sunt: cum au-
 „tem Principes vestri dicunt, quod non
 „alium nisi Cæsarem agnoscant Domi-
 „num; incompertum non est, qualis sit
 „proportio inter Principes laicos, & Ro-
 „manum Pontificem, & cujusmodi ob-
 „servantia Ferdinandus Cæsar Pontifi-
 „cem prosequatur: hinc injuste que-
 „runtur de Romanis Pontificibus, cum
 „palam sit, qualem semper charitatem
 „hi præsetulerint, & exercuerint erga
 „inclytam Germanorum nationem, præ-
 „cipue vero erga res Imperii: porro
 „quod spectat ad morum emendationem,
 „ac disciplinæ restaurationem, hæc qui-
 „dem omnino procuranda: ast a Pio
 „IV. ea naviter sub primis Pontificatus
 „sui auspiciis incæpta est, ac etiamnum
 „continuatur, eoque libentius ab eo Sy-
 „nodus convocata fuit, quo ipse oppor-
 „tunius censuerat in ea communem il-
 „lam

„lam morum reparationem confectum
 „iri:., Ceterum cum Cracovius Roma-
 næ Ecclesiæ affinxisset, dicens, quod il-
 la superstitionibus, ac morum disso-
 lutionibus scateat, intentaque sit, ut
 Evangelii veritates tenebris obfusca-
 ret, hinc ad hæc Commendonus ita
 reposuit: „Ex his profecto facile digno-
 „sci potest, quod veritatis odium, ac
 „convitiandi libido Protestantes excæ-
 „caverit: asseveranter enim ad perpe-
 „tuam Romanæ Ecclesiæ gloriam affir-
 „mare possum, quod ipsa præ ceteris o-
 „mnibus sese illustrissimam reddiderit,
 „assiduo suo Christi nomen, atque Evan-
 „gelii cognitionem latius diffundendi
 „studio: attamen veri Catholici ne-
 „sciunt gloriari, nisi in eo, qui justificat
 „peccatores, & remuneratur justos: de
 „cetero autem Germani ex omnibus
 „antiquorum Historiis discere poterunt,
 „quod maximi illi Præsules, quos ab i-
 „psa Apostolorum ætate universus or-
 „bis ob pietatem, & doctrinam tanto-
 „pere commendat, semper in Religionis
 „dubiis ad Romanam Ecclesiam recur-
 „serint, ejusque decisionibus sese sub-
 „jecerint: insuper allegari possent Re-
 „ges, qui ex omnibus mundi partibus,
 „ac remotissimis etiam regionibus suos
 „Romam ablegarunt, ut de nostræ fidei
 „mysteriis edocerentur: recenseri quo-

Sæc. XVI.
 A.C. 1561.

B 4

„que

Sæc. XVI. „que possent pene innumeræ gentes,
A.C. 1561. „quas hæc eadem Ecclesia ab impieta-
 „te, ac propudiosis erroribus, quibus
 „immerfæ erant, revocavit, atque ad pu-
 „rissimas leges, sanctissimumque Dei cul-
 „tum reduxit: præterea nulla ferme
 „reperitur Provincia, quæ non aut re-
 „ceptæ, aut conservatæ Religionis Ca-
 „tholicæ felicitatem eidem Ecclesiæ in-
 „acceptis referre tenetur. Denique
 „vosmetipsi a Romana Ecclesia fidei
 „Christianæ cognitionem accepistis,
 „postquam vero ab hac veritatis regula
 „defecistis, jam nil nisi errores, confu-
 „siones, ac deliria inter omnes Nationis
 „vestræ populos dominantur.,

Cum autem Cracovius questus esset,
 Nuntios Germanis objecisse, quod hæc
 Natio ingenti Sectarum diversitate sit
 agitata, ad hæc Commendonus Craco-
 vium, an id negare audeat, provocans
 dixit „nil certius, nilque magis evidens
 „constat, quam hæc ipsa perturbatio, ac
 „diversarum opinionum confusio, qua
 „circa fidem, & ritus Germani misere
 „scinduntur, nec unquam inter se con-
 „spirant, nisi contra Catholicos, & Ec-
 „clesiam, a qua defecerunt; nonne Ger-
 „mania est plena libris, quorum doctri-
 „næ inter se pugnant: Lutherus ipse-
 „met, vir ille, qui a vobis tanquam al-
 „ter D. Paulus deprædicatur, quique e-
 „gregiam

„gregiam hanc fidei normam Augustæ ^{Sæcul. XVI.}
 „confarcinavit, non semper sibi in suis ^{A.C. 1561.}
 „opinionibus constat; singulis enim fer-
 „me annis novas fidei confessiones
 „confuebat, atque illi, qui ejus doctri-
 „nam sequebantur, hasce confessiones
 „immutarunt, vel illius sententias pro
 „suo arbitrio, ac genio interpretati sunt,
 „Unde ortæ sunt assiduæ illæ alterca-
 „tiones circa ea, quæ Lutherus reapse
 „credidit: nemo tamen singulis ejus
 „opinionibus adhæret; nam habuit suos
 „asseclas Melanchton, suos Oecolam-
 „padius, Zwinglius quoque diversam fa-
 „bricabat sectam, & quot, quantique
 „Calvini errores amplectuntur? Infini-
 „tæ sunt aliæ adhuc sectæ, quæ tamen
 „nec cum Luthero, nec inter se conspi-
 „rant, nec ulla datur Germaniæ civitas,
 „aut oppidum, imo nulla familia, in qua
 „non reperitur quædam in Religione
 „diversitas: uxores disputant cum Ma-
 „ritis, filii cum eorum parentibus, &
 „quivis se veram fidem, sacrique Codi-
 „cis cognitionem tenere contendit, &
 „quod magis adhuc deplorandum, ru-
 „dissimi quique in suis colloquiis inter
 „pocula definiunt Religionis capita,
 „atque ebrietatibus, & commestationibus
 „intenti sese tanquam Reformatores e-
 „rigunt. Porro Summus Pontifex, pro-
 „sequebatur Commendonus, postquam

Sæcul. XVI. A.C. 1561. „Patris officio erga vos defunctus omne „studium, ut errantes filios suos ad fa- „lutis semitam revocaret, impendit, i- „dem aliquando vobis, totique Germa- „niæ objiciet, quod olim Christus Do- „minus urbi Jerusalem in Evangelio ex- „probrabat: „ *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* „ In- „terim de comitatus officio, quod vestro- „rum Principum nomine nobis, tan- „quam privatis hominibus exhibuistis, „rogamus vos, ut nostro nomine vestris „Principibus grates rependatis, decla- „ramus tamen vobis, quod nullius ho- „noris nisi propter illum, a quo missi su- „mus, nos dignos existimemus. „ Hæc oratio non ab omnibus æquali judicio excipiebatur, quibusdam eandem approbantibus, aliis indignantibus audaciam, qua a Legatis hæc proponebantur: exinde vero ortum, quod Protestantes unioni in sua doctrina stabiliendæ in hoc Namburgensi Conventu magis intenti essent.

§. XII.

Naumburgensis Principum Protestantium Conventus.

Thuan. hist.
l. 28. n. 7.
Pallav. l. 13.
6. 3. n. 8.

Hic ipse conventus ex omnibus ferme Protestantibus Principibus constabat; aderant enim Fridericus Elector Pala-

Palatinus, Augustus Saxoniae Elector, Joannes Fridericus Saxo, Wolfgangus Palatinus, Ernestus, & Philippus Brunsvicenses Duces, Ulricus Megalopolitanus Dux, Christophorus Dux Wirtembergensis, Carolus Badensis Marchio, & Ernestus Hennebergae Princeps: Insuper intererant Joachimi Brandeburgici Electoris, Joannis, & Georgii Friderici Brandeburgici, Philippi Landgravii, Barnimi, & Joannis Friderici Pomeraniae Ducum Legati, pluresque alii: porro Daniae Rex, & Luneburgici Principes duntaxat literas benevolentiae, ac conjunctionis suae in ea causa testes miserant: cum autem Concilii Generalis celebrandi fama percrebuisset, atque Confessioni Augustanae addicti accusarentur, quod in suis opinionibus inter se discordes ea, quae alii pertinaciter amplectuntur, alii aperte impugnarent: eapropter omnes una congregati Principes duo capita in deliberationem vocarunt, & quidem primo sanxerunt, ut omnes illi, qui sese ab Ecclesia Romana segregarunt, in eadem fidei professione convenirent, eoquod alias Catholici jure merito illos condemnare possent, quin illos falsitatis redarguere valerent, cum proprii ipsorum Doctores se invicem tanquam haereticos traducerent, prout in nupero Wormatiensi colloquio factum

Saec. XVI.
A. C. 1561.

Spond. hoc
anno n. I.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561. factum esset. Alterum erat, an a Protestantibus Concilium adiri, aut omnino recusari expediret.

§. XIII.

Diffidia Protestantium in hoc conventu circa Confessionem Augustanam.

Acta Naumb.
Conv. apud
Hospin. 1561
p. 280. & seq. Circa primum articulum statim ingens erat verborum contentio; quippe nonnulli, cum hanc Ecclesiarum dissensionem nullatenus fidei summæ adversam crederent, contendebant, quod omnino tanquam doctrinæ fundamento standum esset Confessioni Augustanæ, præcipue illi, quæ Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo Caroli V. Cæsari porrecta, & rursus eo fine fuit confirmata, ut postea per Electores, aliosque Principes ad Ferdinandum Imperatorem, quem Catholici Protestantibus valde infensum reddebant, transmitteretur: igitur hanc solam postea Ecclesiarum suarum nomine in Synodo proponi, eique ab omnibus subscribi petebant, ne tunc, si singuli suam seorsim fidei professionem exhiberent, majori ludibrio, ac contemptui hujus confessionis focii exponerentur: Tum vero prolatis confessionis præfatæ exemplaribus, diversisque editionibus illam præpripis;

mis, quæ in Augustano conventu, ubi ^{Sæc. XVI.}
 pax Imperii sancita est, Georgii Spala- ^{A.C. 1561.}
 tini manu conscripta fuerat, Joannes Fri-
 dericus Saxo-Vinariensis, & Wirtem-
 bergæ Dux plane cum aliis, ac præci-
 pue cum prima editione Wirtember-
 genfi paucis exceptis convenire conten-
 debant. Verum Palatinus, & Saxoni-
 cus Electores recentiorem quamdam e-
 ditionem recipi urgebant, eo quod illa
 non rebus ipsis, sed verborum duntaxat
 copia, atque interpretationis perspicui-
 tate circa plures articulos a priori dif-
 ferret, manibusque complurium tere-
 retur.

§. XIV.

*Varia hujus Confessionis exemplaria
 in hoc Conventu exhibita.*

Denique cum omnes ceteri Principes, ^{Thuan. l. c.}
 necnon absentium Legati eosdem ^{Acta Naumb.}
 articulos, qui Carolo V. Cæsari olim ex- ^{l. c.}
 hibiti fuissent, subscribendos censerent,
 Sacri Romani Imperii Electores huic o-
 pinioni ea lege adstipulati sunt, ut præ-
 fatio nova adderetur, in qua posterior
 quoque illa editio Confessionis, necnon
 apologia tanquam cum priori consen-
 tiens approbaretur, simulque quædam
 loca ad transsubstantiationem alluden-
 tia amplius explicarentur, ac denique
 controversiæ circa Sanctissimum Sacra-
 mentum

Sæcul. XVI.
A. C. 1561. mentum exponendi, ac circumferendi ritum clarius exhiberentur, eo quod duarum specierum divisio, quæ ibidem fieret, cum institutione Christi non conveniret: insuper etiam quæstiones de Missa, aliisque ejusmodi institutionibus dilucidarentur.

Præterea Electores etiam confessionis Saxonicarum Ecclesiarum, ac Francofordiensis Conventus mentionem in proemio fieri volebant, sed cum rursus Joannes Fridericus Saxo, & alii Smalcaldicos potius articulos repetendos censerent, nihil ex iis præfationi insertum est: porro præfationem a Cracovio, & Ehemio Septemvirorum consiliariis scriptis mandatam, & coram Principibus lectam plerique probarunt; alii contra ei subscribere recusarunt.

Horum pertinacia suffulciebatur ab illis, qui errores, sectasque cum Dei Verbo, & Augustana Confessione pugnantes fovebant, hinc tacite Palatinum Electorem fugillabant, eo quod Tilemanum Hashulium, qui Lutheri sententiam circa Cœnam propugnabat, nuper Heidelbergam dimisisset.

§. XV.

Saxo-Vinariensis Dux cum indignatione excedens.

Fri-

Fridericus Saxo-Vinariensis, qui ad Sæcul XVI.
A.C. 1561.
 Patris sui exemplum semper Lutheri sectam in sua integritate profitebatur, iniquo ferebat animo, in præfatione falso jactari, quod nullæ sint in Germaniæ Ecclesiis discordiæ: quapropter palam profitebatur, quod ejusmodi mendacio turpiter hominibus imponatur, cum omnium auribus, & oculis pateat, quod illorum Ministri tam in suis libris, quam sermonibus inter se singulis ferme diebus, tam acriter digladiantur, ut vel furdos, vel cæcos esse oporteret illos, qui in eorum opinionibus, necnon in præcipuis doctrinæ, ac fidei suæ articulis diversitatem non animadverterent, inde vero Pontificiis non modo eos calumniandi, sed etiam de manifesto mendacio convincendi ansa præbeatur: Itaque non illam confessionem, quæ ante triginta annos fuit edita, atque in pluribus locis immutata, retineri petiit, sed potius illam, quæ ante novem, aut decem annos fuit typis vulgata: insuper Smalcaldicos articulos declarationis loco præfationi inseri postulabat: cum vero nihil impetrare posset, tam impotenti exinde ira in eos, qui ei resistebant, excanduit, ut idem, quamvis Palatini Filiam sibi desponsasset, posthabita omni erga Generum suum reverentia illum publice Sacramentarium, Calvinistam,
 &

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

& Confessionis Augustanæ desertorem appellitaret, qua tamen injuria majorum Lutheri aſſeclis irrogari haud poterat: porro poſtea Dux Naumburgo diſcedens ad ſuas ditones profectus eſt.

§. XVI.

Congregatorum ſententia circa Concilium.

Thuan. l. 28.
Pallav. i. c.
Spond. n. 3.

Cum Congregati de Synodo inter ſe deliberarent, rurfus ingens erat opinionum varietas; quippe alii illam omnino recuſandam cenſebant, aliis vero placebat, Legatos a ſingulis Ordinibus eo decernendos, per quos ad fidei ſuæ rationem in libero, ac Chriſtiano Concilio reddendam ſeſe offerrent, ſimulque gravem contra Papam, Curiamque Romanam accuſationem inſtituerent, atque pro more ſuo contra Judices ſuſpectos reclamarent, ac inſuper adverſus illos exciperent, necnon de inverſo juris ordine, ac loci incommoditate ſuas proponerent querelas; cum id non parum conferret ad diſſipandam invidiam contra Proteſtantes vel ideo conceptam, quod Synodi legitimæ auctoritatem eludere machinarentur, exinde enim, inquiebant ipſi, perſpicient omnes, quod non penes nos, ſed penes hoſtium noſtrorum ambitionem ſteterit, quo minus

nus restaurandæ unionis ratio iniretur, ac proin imposterum minus odium contra Germaniæ Ecclesias timendum foret. Denique omnium sententiæ eo abibant, acceptandum esse Concilium, dummodo non sit Pontificium, atque eidem Papa nec per se, nec per Legatos suos præsit. Hæc quoque respondebant Ferdinandi Cæsaris Oratoribus, qui unacum Papæ Nuntiis die vigesima octava Januarii Naumburgum venerant, atque altera die ad comitia accesserant, ubi his ipsismet congregati adhuc sequentem addebant conditionem, ut scriptum Dei Verbum sit unus controversiarum Judex, nullo autem pacto Pontifex, simulque Episcopi a fidei sacramento, quo eidem sunt obstricti, solvantur, ac Theologi, quos eo decreturi sunt, suffragii jure fruantur: de cetero autem congregati Principes inqueiebant, quod re collata cum illis, qui huic conventui non interfunt, responsum magis amplum Cæsareæ Majestati suæ daturi essent.

§. XVII.

*Oratores a congregatis ad Saxo-
Vinariensem Ducem ablegati.*

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

C

Post

Sæcul. XVI.

A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

Thuan. l. c.

Post hæc iidem Principes statuerunt, ad Joannem Fridericum Saxo-Vinariensem, qui nuper secesserat, Legatos esse deputandos, qui eidem hæc significarent: „nihil ardentius exoptavimus „nisi ut & tu usque ad Conventus exitum Naumburgi substitisses: cum vero „tuam de discessu excusationem accipemus, hinc tibi significamus, quod „subscriptio Augustanæ Confessionis, „propter quam convenimus, a nobis decreta sit, ut tamen desiderio tuo satisfieret, additus est in præfatione articulus de Cœna Domini: proin petimus, ut tu quoque eidem subscribas: „si vero id renueres, saltem a te postulamus, ut tuis Theologis silentium imponas, remque eo deducas, ne Naumburgensis Conventus, ut olim Francofordiensis, *Samariticum Interim* publice nominetur. Denique effice, ne nostra agendi ratio publicis libellis condemnentur, alioquin nos vicissim & innocentiam nostram, necnon conventus illius originem, ac progressum fusius explicando publice vindicare cogemur, „ac omnia denique faciemus, quæ causæ hujus magnitudo, ac necessitas deprecari videntur. „

§. XVIII.

§. XVIII.

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

Conventus Naumburgensis exitus.

His actis Conventus die vigesima septima Februarii solutus est, edito ibidem decreto, quo sancitum, ut omnes Confessionem Augustanam amplectantur juxta explicationes, quæ magis fervire videbuntur ad hoc, ut illa communis reddatur omnibus iis, qui ab illa deviarunt: quam in rem rursus Erfordix proxima die vigesima secunda Aprilis Conventum celebrare statuerunt. Attamen hæc doctrinæ unio, quam affectabant, suo caruit successu.

*Pallav. l. 15.
c. 4. n. 1.*

§. XIX.

Utriusque Nuntii discessus, & Commendoni iter in Germaniam inferiorem.

Itaque ambo Nuntii Delphinus, & Commendonus Naumburgo profecti ad Provincias, quas peragrarè jussi erant, contendebant, prius vero Pontificem certiore reddebant de agendi ratione, qua in præfata urbe a Protestantibus habebantur: eapropter illorum constantia plurimum Romæ fuit deprædicata, ac Commendonus præprimis ex eo laudatus, quod Germanorum, qui Ecclesiæ Romanæ cum tanta arrogantia insultabant, petulantiam represserit. E-

*Pallav. l. 6.
Gratian.
l. 2. c. 4.*

Sæc. XVI.
A C. 1561.

quidem hic idem Præful inferiorem Germaniam lustrare jussus a Vinariensi urbe, ad quam Joannes Fridericus Saxo secesserat, initium sumere, huncque Ducem officiosa salutatione honorare decreverat, verum a quodam hujus Principis Consiliario edoctus, quod ipse Dominus, cum nullum cum Papa commercium habere vellet, eum audire recusaturus esset, hinc recta ad Brandenburgensem Ducatum pergere statuit, Joachimum S. R. I. Electorem visurus: porro cum Commendonus Saxoniam pertransire cogeretur, ab Electore Augusto publicæ securitatis literas omnino honorificas impetrabat, ac insuper hic idem Princeps multis excusabat responsum, quod Papæ Nuntiis contra suam voluntatem, ac sententiam Naumburgi fuisset datum: postea vero eidem Commendono tradit literas, quibus urbium, quas peragraturus esset, Magistratus illum perhonorifice excipere, eumque usque ad Brandenburgici Electoratus fines valido præsidio comitari jubebantur: itaque Nuntius Lipsiam, & Hallam pertransiit, spe concepta, quod Magdeburgensem Archiepiscopum Joachimi Electoris Filium in itinere visurus esset: cum vero hic Præful domo sua absens esset, promotio Berolinum versus itinere ibidem omni honorum genere

genere ab Electore Brandenburgico ex-
cipiebatur.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

§. XX.

*Commendonus Berolinum delatus,
ibidemque Electori Brandebur-
gico collocutus.*

Hic idem Princeps, quamvis Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono Protestantium sectam in suas ditiones invexisset, præ ceteris tamen omnibus magis propensum ad Ecclesiæ sinum revertendi animum exhibebat; semper enim multos ritus, ac Ecclesiæ Romanæ consuetudines fartas adhuc conservabat: itaque Joachimus vix comperto Nuntii adventu quanto-
cius ex suis præcipuis Consiliariis duos eidem obvios misit, qui Nuntium Electoris nomine salutarent, eumque altera die ad prandium invitarent: cum vero Nuntio esset relatum, quod Elector eidem ante convivii horam colloqui, ac præsentibus quibusdam suis Theologis unioni adversantibus sua responsa dare percuperet, hinc Commendonus studiose tempus, quod prandio destinatum erat, non præveniebat, animo tamen suo constituens, quod durante convivio quædam verba de Religione inspergere vellet, exinde melius Electoris animum

*Gratian. l. c.
Pallav. c. 4.
n. 2.
Epist. Com-
mend. ad Be-
rom. Card.
15. Febr.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

exploraturus, illumque ad consilia Religioni proficua inducturus. Nec Commendoni consilio prosper defuit eventus; quippe Joachimus omni obsequiorum genere, quo a Principe Sacræ Sedis addictissimo, ac studiosissimo honorari potuisset, illum exceperat, necnon cuncta, quæ ipse de Concilio proferebat, cum summa tranquillitate auscultans, adeo non continuandæ Synodi propositum vel minimo signo reprobabat, ut etiam illam celebrari, non sine maxima animi sui lætitia excepisse, ac plurimum ad pacem propensus videretur: quinimo nunquam de Pontifice absque singulari veneratione, ac decencia verba faciebat: absoluto autem prandio, hospiti suo quietem procurandi obtentu usus, ipsum ad cubile deducebat, quin per integrum diem de cuiuscunque negotii summa cum illo colloqui vellet. Altera die rursus cum eo mensæ accumbens, de variis rebus nil ad rem attinentibus cum illo fermocinabatur, cumque illum saltem per quindecim dies detinere intenderet, hinc sedulo omnem de legationis suæ causâ agendi occasionem removebat.

§. XXI.

*Synodi diploma a Commendono porre-
ctum, Electorisque responsum.*

Cete-

Ceterum Commendonus temporis oportunitate ufurus, alloquii copiam summis precibus efflagitabat, qua ob-
 tenta Electori Pontificis literas unacum convocati Concilii diplomate tradidit, quibus perlectis Elector desuper deliberandi spatium sibi indulgeri petiit, ac tandem is exeunte Mense Februario quinto post Nuntii adventum die responsum dedit, cuius summa hæc est: „Pontificis salutationem debita reverentia excipio, multasque illi grates rependo; „jam tunc, dum in Hungaria fuerat, optimus summi Pontificis animus, ac „singularis benevolentia mihi innotuit: „Ego quidem semper paci studebam, „cui adhuc impræsentiarum operam navo, quamvis meus conatus non omnibus probetur: ast placere hominibus inter postremas mihi curas est, „dummodo animum meum ad conscientiae tranquillitatem componere, ac Dei Verbum exequi valeam. Ex huius rei studio, non autem ex mentis levitate Confessioni Augustanæ nomen dedi, ac unice exopto, ut singuli, & „præcipue summi Pontifices veram fidem agnoscerent. „ Postmodum ad Synodum sermonem convertens hæc subjunxit „ cum hoc negotium nec ad me solum, nec ad solos Principes Naumburgi congregatos, sed ad omnes Au-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Epistol. Commend. ad Borom. 5. Febr. Pallav. c. 4. n. 3. Raynald. n. 32.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„gustanæ Confessioni addictos spectet,
 „respondere mihi haud licet, nisi quod
 „communi suffragio decretum fuerit:
 „interim me quod attinet, omnem na-
 „vabo operam, ut concordia, atque u-
 „nio revocetur, quamvis plurimas præ-
 „videam difficultates, sicut ipsemet tibi
 „in familiaribus colloquiis sæpius signi-
 „ficabam ea usus sinceritate, quæ meo
 „inest animo: porro cum eundem quo-
 „que animi candorem tibi insitum agno-
 „scam, exinde permoveor, ut meum
 „obsequium recusare haud valeam, ac
 „tecum amicitiam meam continuare
 „percupiam. „

§. XXII.

Commendonis responsio ad Electorem.

*Pallav. c. 4.
n. 4. & 5.*

Ad officiosa hæc Electoris verba Nun-
 tius cum tanta eloquentia, tamque
 rara ingenii amplitudine respondit, ut
 hunc Principem ab errore, in quem ni-
 mia sua credulitate prolapsus erat, nul-
 lo ferme negotio revocasset, nisi Ele-
 ctor hujus Viri consortio, ac consilio
 opportune uti a suis Consiliariis fuisset
 prohibitus: Ceterum Commendonus
 hæc Electori reposuit: „Afferis, te con-
 „scientiæ tuæ stimulis agitatam Augu-
 „stanæ Confessioni nomen dedisse: ast
 „eadem quoque Religione obstringeris
 „Christum Dominum vere agnoscere, id
 „tamen

„tamen haud melius fieri poterit, quam
 „ope cujusdam Oecumenicæ Synodi
 „suffultæ auctoritate summi Pontificis,
 „cui injunctum est, ut confirmet Fratres
 „suos, cujus fides nunquam deficiet,
 „juxta promissionem eidem a Dei Filio
 „factam: quapropter nullum tutius est
 „consilium, quam certissimo Dei judicio
 „se se submittere, ac lumen haurire,
 „quod ex continuata Sedis Apostolicæ
 „successione, necnon in perpetua, constan-
 „tique Patrum doctrina contentum e-
 „lucet. „ His dictis Commendonus E-
 „lectori ob sibi concessam cum eo priva-
 „tim colloquendi libertatem grates per-
 „solvit, rogavitque, ut memori recoleret
 „animo, conditiones pro convocanda Sy-
 „nodo a Protestantibus propositas ejus-
 „modi esse, quæ si concederentur, ad ex-
 „tremum fidei, & Ecclesiæ exitium ten-
 „derent: cum autem inter difficultates
 „ab Electore propositas præcipua esset,
 „utrum Protestantibus suffragii jus esset
 „concedendum, hinc Nuntius reposuit,
 „quod tunc, si hoc jus Confessionis Au-
 „gustanæ fautoribus concederetur, reli-
 „quis aliarum sectarum asseclis pene in-
 „numeris id denegari haud posset, inde
 „vero confusio Babylonica innovaretur.

Sæcul. XVI.
 A C 1561.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. XXIII.

Commendonus apud Marchionem Brandeburgicum, & Magdeburgensem Archiepiscopum.

*Pallav. c. 4.
§. 6.*

Hæc colloquia Electorem inter, & Nuntium diutius protracta præcipue versabantur circa quædam capita, quæ hic Princeps aut hucusque nunquam audivisse, aut non intellexisse fatebatur, solidis tamen responsis, quibus Nuntius omnes ejus difficultates dissolvebat, adeo convictus videbatur, ut haud ultra continere se posset, quin ingemiscens hæc in verba prorumperet: *Profecto Reverendissime Domine multas, ingentesque cogitationes meum in animum induxisti.* Verum humanæ, quibus Elector movebatur, rationes, necnon promissa, quibus fidem suam fociis suis adstrinxerat, ac præcipue Ecclesiæ bona, quæ ad ceterorum Principum Protestantium exemplum jamjam suo ærario adjudicaverat, prævalebant veritatis cognitioni, ac propensæ voluntati suæ, quocirca haud mutata animi sententia Nuntium dimisit: Commendonus itaque Berolino excedens Joannem Brandeburgicum Marchionem Electoris, qui tum Brescæ agebat, fratrem adiit, interea responsum sibi a Joachimo reduce dandum præstolaturus, prius tamen

men in itinere constitutus Magdebur- Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
gensem Archiepiscopum hujus Electo-
ris Filium invisere statuit, a quo etiam
perbenigne exceptus, ibidem aliquot
dierum moram trahebat, ac Papæ lite-
ras, & diploma eidem tradebat, quod
etiam Archiepiscopus reverenter acce-
ptabat; postquam vero temporis spa-
tium, ut interea Patris sui consilium ex-
peteret, postulasset, Commendonus ei
reposuit: „haud alio tibi consilio opus
„est, sed unice attendas ad propriam
„muneris tui rationem, qua non modo
„Suffraganeos tuos ad Synodum decer-
„nere, sed ipse etiam utpote ætate ju-
„venis, & viribus pollens eos præveni-
„re obstringeris.„ Hoc Nuntii respon-
so Archiepiscopus intime tactus non
solum Tridentum, sed Romam adeundi
ac cum Papa conferendi animum præ-
setulit.

§. XXIV.

*Marchionis Brandenburgici responsio
ad Nuntium.*

Interea Commendonus Brescam ur-
bem Berolino vicinam veniens Papæ Pallav. n. 7.
lit. Com-
mend. ad
Borrom. 4.
Martii 1561
litteras unacum diplomate Joanni Bran-
deburgico Marchioni tradidit, hic vero
ad ceterorum exemplum quoddam de-
liberandi spatium petiit, ac post duarum
horarum moram per suum Cancellarium

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

rium Commendano responsum dedit omnino alienum ab ea animi propensione, quam prius exhibuerat: exinde vero Nuntius confestim colligebat, quod hæc responsio dictata fuisset ab hujus Principis Consiliariis, qui grave odium in Pontificis auctoritatem, Romanamque Ecclesiam ostentare studebant (*). Ceterum responsum Cancellarii erat sequens. „Marchio proxime cum ceteris Principibus conventum aget, ibique opportuna arripiet consilia, nec meus hic Princeps dubitat reddere responsum veritati innixum adversus omnes cavillationes, ac fallacias: porro Protestantes ad Synodum invitare idem est, ac lepores cum leonibus consiliare. „ Postea Cancellarius fusius excurrebat contra utramque Synodi convocandæ rationem in diplomate assignatam, quarum una erat hæresum extirpatio, altera vero morum emendatio: hac igitur super re cum tanta verborum vehementia declamabat, ut proferre non erubesceret, quod ea, quæ Papa, vel ejus nomine ipsius Ministri circa hoc caput

(*) Pallavicinus, ex quo Continuator hæc deprompsit, ita inquit. *Hi Consilarii fidem in Principes affectabant, & apud ipsos sibi auctoritatem tuebantur ostentata in Pontificiam potestatem inimicitia.*

caput protulerant, nil nisi calumniæ forent, quas acriter retundere oporteret. His quoque subjunxit, quod bonitas, ac Pontificis mansuetudo a Commendone tantopere deprædicata nunc nonnisi commentitia foret, eoquod temporis, rerumque vicissitudines hodie dum emergentes ejusmodi externam simulationem deposcerent, brevi tamen speciosæ hæ pollicitationes in Italia, & alibi in crudelitatem degenerarent, ubi pii homines eo solum nomine trucidantur, quod puram Evangelii doctrinam profitentes idololatrias, quas tyrannica Papæ auctoritas invehere voluit, adoptare renuerent.

§. XXV.

Commendoni responsum ad Marchionis Cancellarium.

Hisce Cancellarii convitiis Commendonus nonnihil animo commotus, indignationi suæ imperabat, vultuque ad Marchionem converso dicebat: „Cancellarius tuus piam Pontificis voluntatem sinistre interpretatur: ea vero agendi ratio, tamque injuriosa verba minime decent Principis Ministrum, nullo pacto laceffitum, sed potius honoribus cumulatum, His præmissis Nuntius ad singula accusationum capita a Cancellario proposita respondens

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

Pallav. c. 4.
num. 9.

Sæcul. XVI
A.C.1561.

dens ita perorabat: „Ea est mens Pon-
 „tificis, ut præter amplissimam securi-
 „tatis fidem unusquisque humaniter
 „audiretur in Synodo, adeoque adessent
 „non tanquam lepores inter leones, sed
 „tanquam Agni apud Pastores, hinc
 „ex prudentia Principis sperare licet,
 „quod is non ad hoc, ut existimatis,
 „ac injuste summo Pontifici imputatis
 „cavillationibus respondeatur, Auctor
 „existat, sed potius præcipiat, ut id
 „consilii fusciperetur, quod pacem, &
 „in sacris, & in profanis rebus afferret
 „Ecclesiæ, nam id unice Pontifex cu-
 „piebat, cum omnibus in comperto sit,
 „in Germania eam pacem nonnisi ob
 „recentiores defecisse sectas, concor-
 „diam vero permanere, ubi hæ radi-
 „ces non egerunt: certe Germani ne-
 „gare haud possunt, corruptelas ex
 „æquo expurgandas esse, nec valent
 „affirmare, se corruptelis vacare, cum
 „de iis tot in Comitibus ipsi Principes
 „conquesti sint, & Concilium ad eas
 „curandas semper efflagitarint. Cete-
 „rum supplicia paucis obstinatis hære-
 „ticis auctoritate Pontificis inflicta in
 „Italia, & alibi, nihil adversantur be-
 „nignitati, qua idem pœnitentibus ter-
 „roremque objicientibus veniam offe-
 „rebat: quin potius ea supplicia præ-
 „cipiuntur legibus etiam Cæsareis, &
 con-

„congruunt vetustissimæ Ecclesiæ di- Sæcul. XVI.
 „sciplinæ, optimorumque Regum, & A.C. 1561.
 „Imperatorum consuetudini eademque
 „conferunt non modo ad conservandam
 „Religionem intaminatam, sed etiam
 „ad subducendas eas provincias ab e-
 „normi sanguinis effusione, atque hor-
 „rendis calamitatibus, quibus populi
 „obruuntur in illis locis, ubi ea sancta
 „severitas non usurpatur: porro Idolo-
 „latria, quam Ecclesiæ Romanæ ex-
 „probratis, est cultus ille erga res
 „sacras, quem a primis usque sæculis
 „Ecclesia observaverat, & integra Ger-
 „mania exercuerat, ex quo Christi cul-
 „tum suscepit: denique Pontificis po-
 „testas nequaquam tyrannica est, cum
 „ea potestas non vi nixa sit, sed verbo
 „Dei, & reverentiæ fidelium, simul-
 „que cum tanta subditorum quiete,
 „ac felicitate conjungatur, quanta erat
 „perturbatio, & calamitas populorum,
 „qui ab illa secesserant.

§. XXVI.

*Nuntius a Marchione in honore
habitus.*

His dictis Commendonus exurgens Pallav. n. 10.
 abeundi copiam petiit: verum Mar-
 chio Brandeburgicus illum detinens,
 ad prandium invitabat, eumque cum
 summa clementia, ac humanitate ex-
 cipiens,

Sæcul. XVI
A. C. 1561.

cipiens, honoratiorem locum in mensa eidem tribuit, semperque detecto capite eum venerans tam verbis, & gestibus, quam omnibus aliis rebus ipsi oblatis singularem maximæ reverentiæ testificationem præseferbat: quinimo suis præcipiebat Consiliariis, ut illum ad ædes suas comitarentur. Aderat etiam cum ceteris Cancellarius, qui responsi sui vehementiam pluribus excusabat, cui tamen reposuit Nuntius: „ut contra ea, quæ dixisti, questus sim, „nonnisi salutis vestræ studio, quo flagro, „incitatus sum: si vero vobis id cordi „non est, vos rogo, & obsecro, ut, quando vestris factionibus, ac dissidiis finem imponere pertinaciter recusaveritis, saltem ea agendi ratione utamini, „ut æqua Pontificis voluntas patefiat, „ejusque charitatem, ac benignitatem „paternam agnoscatis.„ Verum Cancellarius reposuit: *Cænobitiæ horum omnium potissima exstiteret causa.* (*) Colloquio ita soluto Commendonus Bresca profectus die ultima Februarii Berolinum contendit, ubi altera adventus sui die Magdeburgensis Archiepiscopus Nuntium invisit, eique per unum ex

Con-

(*) Verum sane effatus est Cancellarius, si id intellexit de Luthero, & aliis perversis, atque Apostatis Monachis.

Consiliariis responsum suum tradi iussit, **Sæcul. XVI.**
 in quo amplissimas erga Pontificem gra- **A.C. 1561.**
 tiarum actiones, laudesque effundens
 pollicebatur, quod ipse Synodum ac-
 cedere, multosque Episcopos secum
 conducere velit. Postea Nuntio episto-
 lam consignabat a se exarratam, qua
 ad literas, quibus eum Papa honora-
 bat, respondit, significans, quod ob
 accepti diplomatis, ac Bullæ beneficium
 deinceps eo liberius totam suam fidu-
 ciam in sua Sanctitate esset repositurus,
 eamque rogaturus, ut ad Ecclesiæ suæ
 rem utiliter promovendam illum sua
 ope, sanoque consilio honorare velit.
 Hæc Archiepiscopi benevolentia, agen-
 dique ratio tanto gratior accidebat
 Commendono, quo minus eam spera-
 verat a viginti duorum annorum ju-
 vene, qui & frequenti hæreticorum Mi-
 nistrorum hæresi faventium numero ob-
 sessus, insuper ab hæretico Patre rege-
 batur. Posthæc Commendonus Papæ
 literas Brandenburgicæ Electrici adhuc
 Catholicæ porrexit, quæ Nuntium ro-
 gabat, ut ejus nomine summi Pontifi-
 cis pedes demisso osculo veneraretur,
 eumque certum redderet, quod in ve-
 teri fide, & vivere, ac mori parata esset.
 Porro Elector Nuntii colloquio captus
 illum tamdiu, quam poterat, in aula
 sua detinere studuit, eique Magdebur-
 gen-

Hist. Eccles. Tom. XLIV,

D gen-

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

genſis Eccleſiæ Theſaurum, ac pretioſa quævis oſtendi præcepit, ſimulque Com- mendonum rogavit, ut ſibi a Pontifice quamdam e ſacratiffimæ Crucis ligno particulam procuraret, quæ in magnifica theca ad id ſpeciatiſimè jam parata recondi poſſet. Interea Elector identi- dem repetebat Synodi negotium, po- ſtulans, ut Proteſtantibus ſuffragii jus concederetur, eoquod plures articulos, iis minime auditis jam deciſos fuiſſe quererentur: verum Commendonus ſu- perius relata repetens Principem hor- tabatur, ut Legatos pacis ſtudioſos, non vero Theologos ſuos ad Synodum decerneret. Ad hæc repoſuit Elector: *Theologi mei pacem non quærun- t, ſed contentiombus gaudent, nec tamen Com- mendono declarabat, an Viros magis pacis amantes, ac ſanæ rationis capa- ces mittere velit.*

§. XXVII.

*Commendonus Electore valere juſſo
Berolino excedens.*

Pallav. c. 4.
num. 15.
Ant. Grat.
in vita
Commend.
l. 2. c. 4.

Cum Nuntius diſceſſum ſuum haud amplius retardare poſſet, Electo- rem valere juſſit, a quo etiam ſuum ad Papam reſponſum accipiens, pretioſa ad eundem munera deferre juſſus eſt: verum Nuntius ea omnino recuſans, illo-

illorum loco duas duntaxat Electori Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
 proposuit petitiones, quarum prima erat, ut librum ad Electricem conjugem suam nomine Hoffii Nuntii traditum perlegere haud gravaretur: altera vero tendebat ad hoc, ut Carthusianis quædam loca prope Francofordiam ad Oderam eis ablata restitui juberet. Utrumque ipsi ab Electore fuit promissum, unde Nuntius die decima tertia Mensis Martii Berolino discessit: cum vero per plurimas hæreticorum urbes iter faceret, lacrymis temperare haud potuit, cum videret tot celebres Abbatias, tot Ecclesias olim cum summa religione, ac immensis ferme sumptibus erectas, totque priscae pietatis monumenta, quorum tamen nonnulla fuere aut exspoliata, aut omnino derelicta, alia autem penitus everisa, atque in suis ruinis sepulta, alia demum sacrilege profanata, necnon ad canum, equorumque usum destinata, adeo, ut hæ bestiae nunc foenum comederent super iisdem altaribus, in quibus paulo ante Deo tot incruenta offerebantur Sacrificia: præcipue vero ingemiscebat Comendonus, dum tot cernebat populos, quos hæresis, atque superstitio a salutis semita longe devios reddebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. XXVIII.

Henricus Brunsvicensium Dux a Commendono salutatus.

Pall. l. 15.

c. 5. n. 1.

Gratian. l. c.

Tandem Commendonus ad Henricum Brunvicensem Ducem Catholicum delatus eidem Papæ literas, ejusque diploma obtulit, quod Princeps non sine magna submissione recipiens absque omni cunctatione Synodi continuationem non modo ratam habebat, sed etiam prosperum illius successum ex animo peroptare videbatur, asserens, se a Saxoniae Electore comperisse, quod Lutheri affectæ, cum Calvinii factio Naumburgi prævaleret, alium in Saxonia Conventum habere moliantur. His adjecit, quod ex illo, qui eidem Septemviro a secretis esset, intellexerit, ipsius Dominum ad Catholicæ Ecclesiæ finem haud ægre reversurum, dummodo illius subditis communio sub utraque specie concederetur.

§. XXIX.

Commendonus Synodi celebrationem propositurus apud Germanicæ Episcopos.

Post hæc Commendonus ad omnes viciniore Episcopos, cunctosque Principes Papæ diploma, literasque delaturus,

turus, iter suum convertit, & quidem Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
 Paderbornensis, & Naumburgensis Antistites, etsi podagra laborarent, se Synodum accessuros assererent, nisi per adversam valetudinem prohiberentur: Monasteriensis vero se excusabat, eo quod sua diœcesis undique hæreticis cincta esset, suosque subditos sibi parum obsequentes haberet: alios quoque noverat Episcopos, ad quos venire, Nuntius haud operæ pretium censebat, (*) quocirca eorum Consiliariis diploma Pontificis, illiusque literas relinquebat: postea vero continuato itinere ineunte Mense Aprili Coloniam pervenit, ubi Archiepiscopus Elector, habita cum suis Consiliariis deliberatione respondit, quod paratus esset ad morem Pontifici gerendum, sed de suo ad Synodum accessu dubius hæreret, nisi prius a Cæsare consilium expeteret; cum ad id ab Imperii Ordinibus adstringeretur. Attamen Commendonus majus studium, ac propensionem expertus est in Trevirensi Electore, a quo edoctus fuerat, quod scripserit Ferdinandus ad tres S. R. J. Electores Ecclesiasticos, eosdemque hortatus fuerit ad operam Concilio navandam, simulque etiam

D 3 illos

(*) Pallavicinus testatur, quod hi Episcopi a suis Diœcesibus fuerint absentes.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

illos consuluerit, utrum magis expediret nova convocare comitia, priusquam circa Synodum res decideretur: verum ab illis responsum, comitia haud opportuna videri, eoquod tum Protestantes in illis una omnes in eandem sententiam conspirantes minus flecti possent, cum tamen econtra faciliores forent, si cum singulis ageretur. His quoque addidit Elector, quod Commendonus ea de re in suo itinere certum experimentum haurire potuisset.

§. XXX.

Concordia Episcopos inter, & Principes Catholicos a Commendone proposita.

Pallav. l. 15.
s. 5. n. 4.

Inde Commendonus arrepta occasione Electori proponebat, quantæ utilitatis foret foedus inter Catholicos Principes eo fine initum, ut sese Protestantium potentiae opponerent, cum hi, quamvis viribus inferiores, semper tamen Catholicis magis formidandos sese reddidissent, eoquod semper, quotiescunque de opprimenda Religione Catholica, & de suffurandis Ecclesiarum bonis ageretur, sese conjungerent, eaque armorum societate, quamvis minus perfecta foret, adeo prævalerent, ut ipsi a suæ sectæ affeclis nullo ferme negotio

tio ingentes pecuniarum summas col-
 ligant, dum interea Catholici Princi-
 pes ægre admodum a suis subditis obe-
 dientiam, & vectigalia exigere possunt:
 hinc Commendonus nihil magis Re-
 ligioni proficuum censebat, quam fœ-
 dus inter Principes, & Episcopos. Ce-
 terum hoc consilium Nuntius juxta pri-
 vatam suam opinionem proponebat,
 eo quod hac super re nullum adhuc Pon-
 tificis mandatum recepisset: interim
 id ipsum Elector approbare videbatur,
 dicebatque Nuntio, quod ejusmodi so-
 cietas inter Electores Ecclesiasticos,
 Episcopos, Principes vicinos, Clivien-
 sem Ducem Cæsaris Generum, & in-
 ter Belgicas Hispaniæ Regis ad id
 aliunde paratissimi ditiones jam anno
 priori Augustæ Imperatori proposita,
 illaque ab eodem Cæsare verbis com-
 probata, postea tamen minime in opus
 deducta fuerit, & quidem abs dubio
 ea ex causa, quod Rex Catholicus hu-
 jus fœderis caput esse, ac tribus illis
 Electoribus Ecclesiasticis imperare per-
 cuperet. Insuper Trevirensis Elector
 Tridentum accedere, ac Synodo inter-
 esse parum propensus videbatur, causa-
 tus, quod sua præsentia pro ipsius Re-
 ligionis commodo in suis ditionibus op-
 pido necessaria esset, fidesque se absente
 in discrimen adduceretur, profitebatur

D 4

tamen,

Sæc. XVI.
 A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

tamen, quod paratissimus foret, se Pontificis iudicio subicere. Itaque Commendonus Confluentia, ubi cum Trevirensi Archiepiscopo se conferebat, rediit Coloniensem Magistratum accessit, traditisque Papæ literis eundem hortatus est, ut ipso opere ita se gereret, sicut indicant elogia Coloniensi urbi a Pontifice attributa, atque præfatis literis inscripta, ubi hæc legebantur: *Colonia Agrippina, devota, & obsequens filia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Ad hæc responderunt Senatores, maximo sibi ducere honori, quod summus Pontifex in Synodi negotio Sedis Apostolicæ Nuntium ad eos ablegare voluerit, huncque favorem se memori semper animo repensuros spondebant: de cetero autem pollicebantur, quod sanctiones hucusque neglectas ad opus deducere, nec ullo pacto quemdam de fide, ac Religione suspectum in urbe sua tolerare velint. Postea Nuntius sua studia impendit in illis, quæ circa librorum impressionem Theologicam facultatem concernere, atque ad conservandam fidei puritatem potissimum conferre putabat.

§. XXXI.

Commendonus Cliviensem Ducem in itinere invisens.

Inde

Inde Commendonus Rheno vectus in itinere ad Cliviensem Ducem perrexit, cujus agendi ratio majorem, quam pro ceteris, curam deposcebat; quippe tres suo imperio obnoxios habebat Ducatus, & multas tum citra, tum ultra Rhenum Provincias, quæ erant finitimæ ditionibus Colonienfi, Trevirenfi, Leodiensi, & Belgico Philippi Regis patrimonio, cunctis quidem Catholicis Provinciis, sed hæreticorum frequentia infectis, adeoque in ejusmodi statu, ut plurimum boni, malive in eas derivare posset Ducis conditio: is quidem retinebat Religionem, suspectus tamen habebatur de erroribus, in quos facile induci posset per impietatem illorum, qui apud illum majori pollebant auctoritate; quippe degebat in ejus ditione prope Coloniam quidam Minister, qui quingentos sibi discipulos accersens, eos suæ hæresis veneno infecerat. Equidem Dux illum sæpius suæ impietatis admonebat, quin tamen ad acerbiora procederet, unde ex ipsa hac impunitate hujus hæretici petulantia augebatur: attamen major adhuc dolor inceserat Nuntium, ubi intellexerat, quod in magna esset apud Ducem existimatione quidam Verbi Divini Præco, qui noxia dogmata disseminabat, atque audacter Eucharistiam

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Pallav. c. 5.

num. 7.

lit. Commend. ad

Borom.

Antwerp.

25. Maij.

1561.

Sæcul. XVI
A. C. 1561. sub utraque specie in Patrum Franciscanorum Ecclesia populo administraverat. His igitur rationibus permovebatur Nuntius, ut Ducem adiret, atque alloquii copiam peteret, qua impetrata summis honoribus, ac amicitiae signis exceptus præter diploma Duci Pontificiam tradidit epistolam, in qua illum Pius IV. blande hortabatur, ut in Majorum suorum pietate persisteret, ac Religionem tueretur.

§. XXXII.

Responsum Ducis ad Nuntium.

Pallav. c. 3.
num. 8.

Quamquam Dux erga Curiam Romanam averso esset animo ob revocationem cujusdam diplomatis antea impetrati, necnon propter captivitatem sui Procuratoris, qui ejus nomine rem componere satagebat, nihilominus idem Nuntio hæc in responsis dari præcepit: *Dux summa Reverentia benedictionem, ac diploma Sanctissimi Domini nostri Pii quarti, Pontificis maximi Ecclesie Romanæ, & Oecumenicæ, & Domini sui clementissimi excipit, nec minus suscipit, tanquam filius obsequiosissimus paterna monita, nec a suorum Majorum semita se unquam declinaturum spondet: sperat autem, quod ne latum quidem unquam ab eorum Religione deflexurus sit: insuper Concilii convocatio eidem est percara, eoque suos oratores mit-*
tet,

et, cunctaque præterea præstabit, quæ Sæcul. XVI.
Christianos, & Catholicos Principes decent: A.C. 1561.
verum ut fructus inde copiosior decerpatur:
hinc summopere desiderat, ut nonnisi ex
communi Principum Imperii consensu illud
celebretur, quem in finem suam quoque ope-
ram pollicetur, ut habendæ hujus Synodi
propositum omnibus acceptum esset. Itaque
Commendonus collaudata Ducis pie-
tate, quod ad postremam partem spe-
ctabat, respondit: „Idipsum Zelo haud
„remissiori summus Pontifex exoptat,
„quemadmodum tot ab ipso adhibita stu-
„dia palam faciunt, si vero ea remedia ex
„impiorum culpa in irritum caderent,
„permittendum non est, ut ob improbo-
„rum pervicaciam probi non confirmen-
„tur in vera Religione, detegantur erro-
„res, veritasque stabiliatur.„

§. XXXIII.

Usus Calicis, & Sacerdotum conju-
gia per Ducem a Nuntio
petita.

Cum autem duo illa, quæ supra me-
moravimus, capita magno animi Pallav. c. 5.
sensu proposuisset Cliviensis Dux, atque num. 9.
petiisset, ut concederetur laicis usus
calicis, & conjugium Sacerdotibus,
hinc utrumque Nuntio exposuit, & de
priori quidem agebat, quod suis subdi-
tis

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

tis calicem interdicere haud valeret, cum illius usum viginti quinque jam annos inductum reperiret, & plures ad hæresin valde propensi hoc articulo contenti essent, nec plura sibi concedi peterent: circa Sacerdotum connubia vero affirmabat, quod ea permittendi necessitas ex Sacerdotum intemperantia oriretur, cum ex illis ægre quidam numerari potuerint, qui concubinas publicas non alerent. Verum hæc rationes Nuntius facili prorsus negotio confutare potuisset, duntaxat tamen subjunxit, ea de re in Concilio deliberatum iri. Postea Ducem hortabatur, ut e suis ditionibus Doctorem illum hæreticum, cujus supra meminimus, eiceret, ab aula vero sua peruersum illum Concionatorem exulare juberet. Promiserat Dux prioris expulsionem, alterum tamen retinere volebat, eo quod illum in fide minime reprehendendum censeret: demum Dux Nuntium valere jussum impense rogabat, ut eum Sanctitati suæ plurimum commendaret, atque non in alio, quam Ducis Palatio, quamdiu in ejus urbe moraretur, divertere vellet.

§. XXXIV.

Nuntius in Daniam proficisci a Papa jussus.

Post

Post hæc Commendonus Papæ Nun-
 tius maritimo itinere Antverpnam
 contendit, ubi ex Romana urbe epi-
 stolas accepit, in quarum prima Naum-
 burgo ad Daniæ Regem, quem non-
 dum adierat, sese transferre jubebatur,
 ut eundem de Synodi convocatione cer-
 tiorem faceret. Hæc mandata Romæ
 die quarto Martii fuere data, ad ea
 tamen Commendonus nonnisi quinta
 Maij die responsum dederat, eo quod
 hisce jussis morem gerere haud posset,
 nisi prius Cæsaris opera publicæ fidei
 literas accepisset. Ceterum negotium
 Nuntio demandatum tribus, iisque ma-
 ximis difficultatibus erat obnoxium;
 quippe Fridericus II. Daniæ Rex, ad
 quem Nuntius pergeret, Princeps erat
 ætate juvenis, ac potentia præcipue
 maritima admodum conspicuus, nec-
 non ingenii acie excellens, & denique
 potissimis Germaniæ Principibus foedere
 junctus, Generque Saxonæ Electoris,
 atque ex Electoris Brandeburgici So-
 rore Nepos, qui alta quidem animo vo-
 lutabat consilia, nequaquam tamen ad
 Imperii dignitates adspirabat: de ce-
 tero autem Rex is erat pessime educatus,
 moribus incultus, atque ebrietati, &
 incontinentiæ summopere addictus. In-
 super Commendoni iter difficillimum
 reddebant viarum molestiæ, frigidissimi
 aeris

Sæoul. XVI.
 A.C. 1561.

*Pallav. c. 6.
 num. 1.
 lit. Com-
 mend. ad
 Borom.
 Antver.
 3. Maij &
 ejusdem ad
 Mantuan.
 Card. Ant-
 vers.
 5. Maij
 1661.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1561. aeris intemperies, ac glaciei asperitas, nec magis expedita erat Regem alloquendi copia; erat enim primævo naturæ vitio ferox, atque illorum, quos libidinum suarum focios habebat, adulationibus, perversisque consiliis seductus, necnon juratus Papæ, & Sacræ Sedis inimicus: nihilominus Nuntius insuper habitis hisce obstaculis, quibus absterri potuisset, hoc iter aggressus est, unice Religionis augmento intentus.

§. XXXV.

Legati tanquam Concilii Præsides a Papa nominati.

Pallav. c. 6.
num. 2.
Ciacon. t. 3.
p. 379. In iisdem Papæ literis Commendone etiam injungebatur, ut duobus Concilii Legatis, qui tum Roma absentes erant, ac proin literas ad Cardinalem Borromæum scriptas nosse haud poterant, de omnibus rebus a se gestis, vel imposterum gerendis perscriberet. Ex hisce Legatis pro Synodo designatis primus erat jam antea in Sacro Purpuratorum Senatu promulgatus Hercules Gonzaga Cardinalis Mantuanus, cujus Nepos nomine Guilielmus Cæsaris Filix destinatus erat. Ceterum Hercules Prælatus erat non tantum generis sui nobilitate, ac Ferdinandi fratris sui gloria illustrissimus, sed præcipue propriâ

proprii meriti suffragio longe celeberrimus, quamvis hanc legationem subire summopere cunctaretur, cum de periculis, ac labore certus, de prospero autem successu maxime dubius esset: nihilominus, ut summi Pontificis mandato morem gereret, invitus licet, humeros oneri subjecit, unde in obsequii premium paulo post ejus Nepos Franciscus Gonzaga a Pontifice Cardinalium numero fuit adscriptus, atque Herculi ab eodem Papa Pio IV. in laboris socium adjungebatur Cardinalis Jacobus de Puteo Niciæ in Provincia natus, Barenfis Archiepiscopus jurisprudentia excellens, qui diu utriusque, ut vocant, Signaturæ Præfectus, atque Sacræ Inquisitionis Præses erat. Hic idem ob summam in rebus gerendis dexteritatem tanquam Curiae Romanæ oraculum colebatur, atque in maximi momenti negotiis ejus consilium fuit expetitur. Ceterum præter ambos etiam tertius adjungebatur Synodi Præses, qui tamen duntaxat in Pontificis animo designatus nondum in Patrum Senatu propositus erat, isque ipse vocabatur Stanislaus Hofius, qui raram pietatem cum profunda eruditione felici nexu copulans tum in Polonia patria sua, tum in Germania ingens sibi nomen comparabat: cum autem apud

Ferd-

Sæcul XVI.
 A C. 1561.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

Ferdinandum Cæsarem Legati Pontificii munus ageret, in ejusdem aula interim persistere erat jussus, donec Synodo initium daretur.

§. XXXVI.

*Octodecim Cardinales a Pio IV.
Papa creati.*

*Ciacon. t. 3.
p. 904.
Pallav. c. 6.
num. 4.*

Ut autem summus Pontifex omnium Nationum benevolentiam sibi conciliaret, die vigesima sexta Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo Patrum Senatu habito octodecim Prælatos ex variis Regionibus ortos Purpuratorum Collegio adscripsit, & quidem ex illis septem Sacerdotum, undecim vero Diaconorum Ordini cooptavit. Hos inter primus erat Hieronymus Seripandus patria Neapolitanus, supremus Ordinis F.F. Eremitarum S. Augustini Præpositus, Salernitanus Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Sufannæ, qui idem Legatus ad Synodum destinabatur. II. Bernardus Salviatus, patria Florentinus, primo S. Populi, & postea Claramonti Episcopus ex Leonis X. Sorore Nepos, ac Catharinæ Mediceæ Galliarum Reginae, cui ab Eleemosynis erat, proxime sanguine junctus, qui titulum primo S. Simeonis, ac demum S. Priscæ obtinuit. III. Stanislaus

laus Ofius, seu Hofius natione Polonus, Culmenfis, ac dein Varmienfis Epifcopus, Presbyter Cardinalis in Ecclefia S Sabinæ, hunc tamen titulum poſtea ad plures alios translatus commutabat. IV. Petrus Francifcus Ferrerius Nobilis Pedemontanus, Verceilenfis Epifcopus, ac poſtea apud Venetam Rempublicam Nuntius, Presbyter Cardinalis tit. Sancti Cæſarii. V. Ludovicus Simonetta Mediolanenſis Piſauri Epifcopus, qui jurisprudentia clariffimus jamjam ſub Paulo III. Synodo interfuit, atque a Pio IV. ad primi, ut vocant, Datarii officium evectus, tandem Presbyter Cardinalis tit. S. Cyriaci, ac poſtea Sanctæ Anaſtaſiæ fuit nominatus. VI. Antonius Perrenotus Granvellanus, ex ſuperiori Burgundia ortus primo Atrebatenſis & poſtea Mechlinienſis, ac Biſuntinus Archiepiſcopus, primus Philippi II. in Belgio Miniſter, & Presbyter Cardinalis tit. S. Bartholomæi in Inſula, necnon S. Sylveſtri, denique Sabinenſis Epifcopus. VII. Philibertus Naldius Burdeſerius Babou Antifiodorenſis, atque Engoliſmenſis Epifcopus, Romæ Franciæ Regis Legatus, Presbyter Cardinalis tit. S. Martini in Montibus, necnon tit. S. Anaſtaſiæ. VIII. Marcus Antonius Amulius, Venetus, ac Rei-

Hiſt. Eccleſ. Tom. XLIV. E publi-

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

publicæ Legatus apud summum Pontificem, Cardinalis Diaconus, postea Presbyter tit. S. Marcelli, Episcopus Reatinus. IX. Aloysius Estensis, filius Herculis Ferrariæ Ducis, Auxitanus Episcopus, Cardinalis Diaconus tit. SS. Nerei, & Achillei. X. Ludovicus Madrutius, cedente Christophoro Madrutio ejus Patruo, electus Tridentinus Antistes, ac Marchiæ Anconitanæ Legatus, qui renuntiatus fuit Cardinalis Diaconus tit. S. Onuphrii, & postea Presbyter tit. S. Laurentii in Lucina, atque Tusculanus Episcopus. XI. Marcus Siticus Altempfius, ex quadam Pontificis Sorore genitus, Cassanenſis Episcopus, ad Ferdinandum Cæsarem pro concilii convocatione Legatus nominatus, Cardinalis Diaconus tit. Sancti Angeli, postea Presbyter Cardinalis tit. SS. duodecim Apostolorum, Episcopus Constantiensis, atque Archipresbyter apud S. Joannem in Laterano. XII. Inicus, seu Ignatius Avalos Arragonensis, qui ex nobilissima Hispaniæ familia oriundus, sed Neapoli natus, Cardinalis Diaconus primo tit. Sanctæ Luciæ, postea Presbyter tit. S. Adriani, atque Episcopus Portuensis fuit nominatus. XIII. Franciscus Gonzaga ejusdem nominis Cardinalis Nepos, Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in carcere

cere Tulliano, & dein Presbyter tit. S. Laurentii in Lucina, Legatus in Campania, atque Archiepiscopus Cosentinus XIV. Alphonfus Gesualdus, Protonotarius Apostolicus, Principis Venusii filius, Cardinalis Diaconus tit. Sanctæ Cæcilie, primo Compsæ, & postmodum Neapoli in patria sua Archiepiscopus, ac demum Ostiensis Episcopus. XV. Franciscus Pacceus, ejusdem cognominis Cardinalis non ita pridem defuncti Nepos, natione Hispanus, Burgensis Archiepiscopus, Cardinalis Presbyter tit. Sanctæ Susannæ. XVI. Joannes Franciscus Gambarà, ex nobilissima Bresciorum familia ortus, Cameræ Apostolicæ Clericus, primo Cardinalis Diaconus, ac postea Presbyter tit. SS. Petri, & Marcellini, Viterbiensis, Albanensis, & Prænestinus Episcopus. XVII. Bernardus Navagerus patria Venetus, Presbyter Cardinalis tit. S. Pancratii, postea S. Nicolai, ac demum Sanctæ Sabinæ, Episcopus Veronensis. XVIII. Hieronymus a Corregio, Italus, primo Cardinalis Diaconus, postea Presbyter tit. S. Stephani in Monte Cælio, ac demum S. Anastasiæ, Archiepiscopus Tarentinus.

Sæcul XVI.
A C 1561.

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

§, XXXVII.

*Venetorum indignatio ob Amulium a
Papa creatum.*

Pallav. c. 6.
uum. 5.
Ciacm.
p. 929.
Thuan. l. 28.

Verum Amulii electio levem quamdam contentionem Pontificem inter, & Venetorum Rempublicam excitaverat; hæc quippe Joannem Grimanium Aquilejensem Patriarcham, Antonii Veneti Ducis Nepotem summo Pontifici commendabat, atque etiam Pius IV. Papa ad illius electionem pronum semper præseferabat animum, dummodo Sacræ Inquisitionis Tribunal non obstitisset: etenim jam ab anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo hic Præsul erroneis quibusdam opinionibus favisse accusatus sese purgare coactus fuerat, quinimo ob ejusdem criminis suspicionem sedente Julio III. forte a purpura excludebatur: verum Pius IV. huic famæ fidem minime adhibens sese huic Viro probe affectum exhibebat, cum autem temporis progressu Grimanus denuo accusaretur, quod auxilium suum cuidam impenderet Concionatori, qui ex suggestu ad populum dicere haud dubitabat, quod nec prædestinatus damnari, nec reprobis salvari possit, ea propter summus Pontifex, paucis ante diebus, priusquam pro præfata Cardinalium electione Senatum cogere parabat,

rabat, Amulio Legato infinuavit, ma-
 gno valde dubio exponi, an per Gri-
 mani electionem valeat Reipublicæ vo-
 tis satisfacere, nisi prius suspiciones de
 doctrinæ integritate contra ipsum con-
 ceptæ fuissent dissipatæ. Attamen Le-
 gatus his Papæ verbis commotus su-
 bito eidem reposit, quod Respublica
 hanc repulsam ægerrime latura esset,
 eoquod certam spem de Viri hujus no-
 minatione concepisset, necnon aliundè
 id in Reipublicæ ignominiam cederet,
 cum illa in suspensionem trahi posset,
 perinde acsi ex suis civibus quemdam
 jure de sana fide suspectum promoveri
 rogasset: cum igitur Pontifex rem ab
 Oratore Veneto vehementius urgeri
 cerneret, Ghislerium Cardinalem su-
 premum Inquisitionis Magistrum adesse
 iussit, eidem injungens, ut iudicii acta
 hucusque contra Grimanum concivem
 suum instructa Legato traderet.

§. XXXVIII.

*Grimanus ob perversæ doctrinæ su-
 spicionem a purpura exclusus.*

Insuper Amulius Reipublicæ Orator a
 summo Pontifice facultatem impe-
 trabat, ut Grimanum, qui tum Romæ
 agebat, de rei gestæ serie edocere,
 eumque coram ipso Pontifice sistere pos-
 set: itaque comparuit ille, atque in

Sæcul. XVI.
 A. C. 1561.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

lacrimas effusus literas a se scriptas protulit, in quibus omnes suas opiniones Sedis Apostolicæ judicio submitit: quæ propter pridie, quam Purpuratorum Senatus cogeretur, Legatus petiit, ut summus Pontifex Sacræ Inquisitionis Tribunal convocaret, & ibidem Grimanus Aquilejensis Patriarcha causam suam defenderet: obtenta itaque hac facultate Grimanus in judicio præfens sese purgare nitebatur: verum ejus defensio non adeo legitima erat, ut omnis suspitionum, quæ contra eum prævalebant, nebula dissiparetur; quocirca Papa, cui Archiepiscopi responsa non minus, quam toti confessui parum probabantur, Oratori significavit, quod ea sit præsentis temporis conditio, quæ Cardinales non modo in doctrina ab erroribus exemptos, sed etiam a minima suspitione liberos deposcat, aliunde vero Grimani nominationi, si Patrum Senatui illum proponeret, omnes Cardinales, ac potissimum illi, qui Sacræ Inquisitioni deserviunt, obsisterent, non sine hujus Viri ignominia, ac Sedis Apostolicæ dedecore: Ad hæc Amulius obmutescens, petiit, ut Pontifex saltem illum in pectore, ut ajunt, servaret. Verum ille reposuit: in nuperis comitiis fidem meam obstrinxi, ne eam reservandi rationem utpote Sacro Collegio

legio exofam in Cardinalium electioni- Sæcul. XVI.
 bus usurpem: nihilominus alia hoc ne- A.C. 1561.
 gotium ad optatum successum dedu-
 cendi media adhibebo.

§. XXXIX.

*Ad placandam Rempubicam duo Ve-
 neti a Papa ad purpuram
 nominati.*

Igitur summus Pontifex illa die, qua *Pallav. n. 7.*
 Purpuratorum Senatus haberetur, *Thuan. l. 28.*
 matutino tempore confestim Oratorem *num. 9.*
 Venetum accersivit, eumque in Bor-
 romæi Cardinalis cubiculo subsistere
 iussit: interea vero duos Nobiles Vene-
 tos proxime ad purpuram promoven-
 dos selegit, quorum tamen neuter ad
 hanc dignitatem adspirabat, quamvis
 uterque hoc honore dignus esset. Ex
 illis primus erat Bernardus Navagerus
 jam antea a Republica ad Veronensem
 Episcopatum propositus, alter vero
 ipsemet Legatus Marcus Antonius Amu-
 lius, de quo Pius, cum ipsum nomi-
 naret, dixit: *Hic est vas electionis.* Ve-
 rum Amulius, cum se præter omnem
 expectationem eligi cerneret, honorem
 sibi oblatum acceptare renuit, cum au-
 tem sese subicere a Papa disertis ver-
 bis juberetur, tandem eidem morem
 gessit, qua submissione se nequaquam
 Venetæ Reipublicæ, cujus Orator erat,

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

indignationem incursum credebat: attamen Senatus exinde graviter in eum excandescens, veterem Reipublicæ legem, qua ejus Legati quicquam ab exteris Principibus acceptare prohibebantur, fuisse ab illo violatam carpebat: nihilominus Pontifex, cum ex libera sua voluntate Amulium hoc favore auxisset, mox Venetos placare studuit, datisque ad Senatum literis interposita etiam juramenti Religione testatus est, quod Amulius hujus nominationis suæ nequidem conscius fuerit: verum Papæ preces, atque excusatio in irritum cecidere, quippe Orator revocabatur, non quidem ut Pontifici, prout Veneti inquietabant, molestiam crearent, nec etiam Amulio injuriam inferrent, sed unice Reipublicæ leges, a quibus regiminis sui salus dependet, intactas servarent. Itaque Amulium regredi jubent, suisque cognatis prohibent, ne ob illius electionem ulla publicæ lætitiæ signa ederent: ut vero Respublica simul suam Pontifici submissionem testatam redderet, Senatus hunc Oratorem, qui jamjam in itinere ad Venetos erat, Romam remigrare jussit, ut ibidem rursus sua fungeretur legatione, quam etiam postea cum magno nominis sui honore subibat.

§. XL.

§. XL.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.*Tres Legati pro Synodo a Papa
designati.*

Cum Pontifex Mantuanum, & Pu- *Pallav. c. 6.*
teum Cardinales tanquam suos ad *num. 3.*

Concilium Legatos nominasset, se quo-
que eisdem tres alios socios adjunctu-
rum promiserat, testatus, quod tunc
si forte ex Sacri Collegii membris Vi-
ros non reperturus esset ejusmodi do-
tibus insignes, prout ipsi sperare vale-
rent, novos creaturus esset Cardina-
les, qui Theologiæ, juriumque peri-
tia, necnon morum probitate admo-
dum conspicui forent. Enimvero ejus-
modi Viros selegerat in nupera Purpu-
ratorum creatione, nunc vero die de-
cima Martii primis duobus adhuc ad-
juxit novos tres Cardinales, Seripan-
dum, Osium, & Simonettam, ut in-
ter illos reperirentur Viri æque in Theo-
logia, quam jure Pontificio longe cla-
rissimi: insuper Cardinalium, & Præ-
latorum Congregationem instituit, ut
eorum ope omnia ad Synodum præ-
stituto tempore inchoandam necessaria
disponerentur.

§. XLI.

*Synodi celebratio Galliarum Regi
probata.*

E 5

Die

Sæcul. XVI. **D**ie tertia Martii summo Pontifici al-
 A. C. 1561. latae sunt Galliarum Regis literæ,
 in quibus Engolismensis Episcopus ejus-
 dem Orator exponebat, quod Rex Chri-
 stianissimus Synodum, prout hucusque
 esset indicta, gratam, ratamque habe-
 ret, atque ardentem desideraret, ut ea-
 dem juxta totius Christianæ Reipublicæ
 vota optatum consequatur successum:
 Insuper Rambulletus speciatim Romam
 decernebatur, ut ad preces ab Aure-
 lianensibus Ordinibus Regi expositas
 Synodum brevi inchoandam urgeret,
 simulque declararet, quod illius cele-
 bratione longius protracta Rex ad Re-
 gni sui Prælatos recurrere, seu non ob-
 tento Concilio universali Nationalem
 Synodum congregare cogeretur: Verum
 ad hæc reposuit Pontifex: „nihil arden-
 „tius cupio, quam Episcopos Tridenti
 „congregatos cernere, nec hæc mora
 „ullatenus meæ culpæ imputanda ve-
 „nit, sed potius Principibus, qui continuo
 „inter se discordes sunt, quamvis jam-
 „jam dudum diploma eorum benepla-
 cito, quantum fieri potuit, accommo-
 dum ediderim.

*Mem. pour
 le Concil. de
 Trente p. 72.
 dans l'in-
 struction
 du Mr.
 Rambouillet.*

X. XLII.

*Papæ Nuntii a quibusdam Principi-
 bus male recepti.*

Enim.

Enimvero plures Papæ Nuntii æquam
 de Principibus, ad quos decerne-
 bantur, querendi ansam habebant: ni-
 hilominus summus Pontifex, etiam si
 ex responso anno priori ab Elisabetha
 Angliæ Regina ad Abbatem Parpagliam
 dato exiguam admodum veræ Religio-
 nis in hoc regno restaurandæ spem con-
 cipere potuerit, hoc tamen anno alium
 rursus Nuntium nominare voluit, qui
 eidem Reginæ Tridentinum Conci-
 lium nuper interruptum in eodem loco
 continuatum iri significaret, simulque
 rogaret, ut & ipsa Episcopos Anglos
 eo ablegaret: itaque Martinengus Ab-
 bas, cui hæc demandata erat provin-
 cia, in Flandriam delatus Hispaniæ
 Regis, ac Albæ Ducis patrocinium im-
 plorabat, ut eorum opera in Angliam
 veniendi facultatem ab Elisabetha im-
 petrare posset: verum illa Nuntium
 acceptare constanter renuit, postea
 tamen Papæ Nuntius, qui Parisiis age-
 bat, ad Martinengi preces Trochmor-
 tonum Angliæ Oratorem eo induxerat,
 ut hac super re ad Angliæ Reginam
 perscribere vellet: Attamen illa re-
 spondit: „nullum mihi negotium cum
 „Papa discutiendum occurrit, optarem
 „quidem Concilium vere œcumenicum
 „congregari, nullum tamen admitto,
 „quod indictum est a Romano Episcopo,
 cujus

Sæcul. XVI.

A.C. 1561.

Pallav. l. 15.

c. 7. & c. 9.

num. 5.

Cambden in

vita Eli-

sabeth.

Sæcul. XVI. „auctoritas Senatus decreto ex Anglia
A.C. 1561. „exulare iussa est,,

Nec magis prosper legationis successus in Imperii urbibus in Germania superiori fitis Delphino arridebat, nam incassum etiam illas hortabatur, ut in suis ditionibus pacem restaurarent: insuper in irritum cecidere illius promissa, quibus idoneam publicæ fidei cautionem, necnon plenam Synodum accedendi securitatem spondebat. Equidem Norimbergam præprimis contendebat: ast a Senatu die octava Martii nonnisi sequens referebat responsum: „Nos jam ab anno Christi millesimo „quingentesimo trigésimo Confessioni „Augustanæ adhæsimus, neque nobis „nunc licet ab illius partis Principibus „nos separare: ecquidem tibi tanquam „Papæ Nuntio tum ob patriæ dignitatem, tum ob familiæ splendorem, parati sumus ad omnem obsequii significationem exhibendam. Idem ferme responsum dabant Argentinenses, addentes, quod præterita Synodus omnino faverit Romano Pontifici, atque hujusmodi pariter Concilium suspicarentur futurum, quod similiter legitimum non esset, utpote a Cæsare non inlicitum, ad cuius auctoritatem id spectaret. Paulo modestior erat Francofordiensium repulsa, nam hi respondebant:

bant: „maximopere optamus con-
 „cordiam Religionis in Germania, sed
 „est in comperto, ob quas causas gra-
 „vissimas Synodus jam bis tentata mi-
 „nime profuisset; si hæc impedimenta
 „nunc tollerentur ab æquissimo juxta,
 „ac prudentissimo Pontifice, id per-
 „gratum nobis est futurum; cetera nobis
 „non licet ab Augustanæ Confessionis
 „Principibus, quibuscum conjuncti su-
 „mus, discedere.

Sæc. XVI.
 A.C. 1561.

Verum Papæ Nuntius Augustanum
 Senatum ad animi demissionem magis
 propensum experiebatur, quamvis &
 ipse Nuntio repulsam daret, hæc caus-
 satus: „post permissam a Carolo V. ut-
 „ramque Religionem, utraque pacem
 „exercuit in civitate nostra: nos ecqui-
 „dem alimus in animo summam pro-
 „pensionem in concordiam ac dissensio-
 „num adeo funestarum finem, sed par-
 „vula nostra Respublica haud ea est,
 „quæ posset initium concordiae fa-
 „cere; hinc id unum nostræ opis est,
 „ut eam votis expetamus, ac re ipsa
 „ad id operam conferre parati sumus,
 „atque ubi majora Imperii membra in
 „eam commitentur, nos non deerimus.

Postea Delphinus ad plures Ger-
 manicæ Episcopos Spirenses, Constans-
 tianses, & Merseburgenses iter suum
 profecutus ab eis cum summa benevo-
 lentia

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

lencia excipiebatur, quamvis eorum nonnulli grave senium obtenderent, alii vero adversam valetudinem, & Tridentini itineris molestias caussarentur.

§. XLIII.

Delphini colloquium cum Zanchio.

*Pallav. c. 10.
num. 1.*

Cum Delphinus hosce Principes inviseret, habita cum pluribus adulterinæ Reformationis Ministris agendi opportunitate cum eorum nonnullis disputabat, ac præcipue cum Zanchio Bergomenfi olim Canonico Regulari Ord. S. Augustini, nunc fidei desertore, qui in Lucensi agebat conventu, cui tum præpositus erat Petrus Martyr, a quo Zanchius unacum pluribus aliis Zwinglii errores hauriebat, cumque intimæ amicitiae vinculo Brentio junctus esset, ambo Nuntium Argentinam venisse edocti illum adibant, comitantibus eos pluribus Venetis, qui novæ sectæ nomen daturi patriam suam relinquebant: igitur hos Delphinus rara benignitate excepit, eisque monita charitatis plena suggerens satis aperte ardentissimum, quo flagrabat, illos ad Ecclesiæ sinum revocandi studium testatus est, nec conatui suus defuit successus; quippe Zanchius Nuntii rationibus devictus, a reliquis secessit, ei submissa voce significans, quod remotis

tis arbitris illi colloqui, eique quædam Religionis dubia proponere peroptaret. Ad hujus vota capite annuit Nuntius: itaque Zanchius revertitur, prolixumque cum Delphino sermonem instituit, cui aderat etiam Sturmio itidem Protestantium veneno infectus, qui tamen, cum in ea urbe denuo in Nuntii ædibus conspici nollet, illum in quodam loco prope urbem unacum Zanchio convenit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. XLIV.

Dubia Nuntio a Zanchio, & Sturmio proposita.

Erat Zanchius ex omnibus Protestantibus certe moderatissimus, qui de Romana Ecclesia semper tanquam Matre sua loquebatur, atque ad illius sinum illico redire paratum sese exhibebat, dummodo illa a quibusdam corruptelis, quæ, ut inquiebat ipse, in ejus fidem, ac disciplinam irreperant, expurgata esset: insuper Sturmium ab ejusmodi consiliis haud adeo alienum esse affirmabat: igitur hi Nuntio declarabant, quod eorum vota unice eo collimarent, quatenus redintegrata unione postea ad Catholicæ Ecclesiæ gremium redire possent, ita tamen, ut non cum ignominia fontium, quibus venia est indulta, sed cum dignitate Virorum de Religione

*Pallav. n. 2.
& 3.
Epist. Delph.
ad Borom. 13
Jun. 1561.
August. in
Arch. Vatic.
& ejus summa
in Bibl.
Barbar.*

ne

Sæculi XVI
A.C. 1561.

Philipp. I.
v. 15. & 18.

ne bene merentium, quibus præmium destinatur, inter Catholicos agere valerent. Hæc prona utriusque voluntas placuit Delphino, quocirca ad Cardinalem Borromæum ita perscripsit: „mihî „visum est consultius, Divinum Paulum „Apostolum imitari, qui in epistola ad „Philippenses, conspiciat Christum prædicari ab aliquibus propter invidiam, „& contentionem, ab aliis propter rectam voluntatem, in ea tandem verba prorupit: „ quid enim? dum omnimodo, sive per occasionem, sive per zeli veritatem Christus annuntietur: ex his autem verbis inferebat Delphinus, prudentiæ legibus consonum esse, ut ex hisce Protestantibus saltem id, quod posunt, eliceretur, etsi illud quod pollicentur, obtineri non valeret.

Ceterum Zanchius Nuntio sequentes proponebat conditiones, seu animi sui opiniones, I. Adhibeatur moderatio auctoritati nunc attributæ Romano Pontifici; quippe quæ veteri Ecclesiæ consentanea non videtur: II. Ferantur in Concilio sententiæ juxta purum Dei verbum, & secundum Patrum antiquiorum doctrinam: III. Solvantur Episcopi a jurejurando, quo Pontifici obstringuntur, adeo, ut libere & ex conscientiæ suæ judicio loqui possint, IV. primo loco haud numerosi quidam cœtus doctiorum

rum Præfulum habeantur, quibuscum Sæcul. XVI.
 conferre sermonem possent Theologi A.C. 1561.
 Protestantium; ii vero postmodum se-
 creta sua suffragia promant, antequam
 in ampliori conventu quidquam decer-
 neretur, cum existimarent hæretici, in
 multis e Catholicis Episcopis scientiam
 desiderari.

Ad hæc Zanchii postulata, seu mo-
 nita respondens Nuntius, præprimis
 summi Pontificis auctoritatem merito
 extollebat, eamque ex Theodoro, Chal-
 cedonensi Concilio, Sancto Hieronymo,
 aliisque comprobata reddebat (*).
 Ad alterum caput progressus Delphinus,
 in quo petebatur, ut in Concilio res
 dijudicaretur ex solo Dei verbo, & ve-
 terum Patrum sententia, hæc dixit:
 „id aliis licet vocibus exprimatur, i-
 „dem tamen est, ac omne pondus aucto-
 „ritatis adimi superioribus Conciliis, &
 Pon-

(*) Addit Pallavicinus l. c. tantam testi-
 moniorum copiam Delphinus produxit, ut
 Zanchius admirabundus dixerit, velle se accu-
 ratius super ea re auctores veteres consulere,
 cui subjecit Nuntius: id quidem ageret, sed
 legeret sinceros codices, ac fideles interpre-
 tes; cum contigisset, ut Oecolampadius in
 sua Theophylacti translatione locum quem-
 dam perverteret.

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

F

Sæcul. XVI. „Pontificis decretis. „ Ad tertium ve-
A.C. 1561. ro Nuntius palam edixerat: si Episco-
 pi jurejurando solverentur, id ex una
 parte vanum, ex altera offensionibus ob-
 noxium futurum. Denique circa quar-
 tum ostendit, quod veneranda anti-
 quitas contrarium usum fuerit secuta.
 Ceterum hoc colloquium longius pro-
 trahebatur, totaque illius summa ad
 Papam, atque Legatos fuit transmissa,
 a quibus responsum, quod Protestan-
 tes in Synodo cum ingenti lætitia sint
 recipiendi, omnisque securitas ipsis ibi-
 dem concedenda, atque illi cum sum-
 ma benignitate atque mansuetudine ha-
 bendi. Verum hoc colloquium haud u-
 beriore nanciscebatur successum.

§. XLV.

*Nuntii colloquium cum Paulo
Vergerio.*

Pallav. c. 10. Pariter Petrus Paulus Vergerius, cu-
n. 13. jus frequens alibi mentio occurre-
 bat, Nuntio colloqui desiderabat, qua-
 propter interdum solus, nonnunquam
 vero unacum Sturmio Argentinam, alia-
 que in loca magis vicina venerat: cum
 vero solus cum Nuntio conferret, ma-
 jori cum libertate agebat, præsentem au-
 tem Sturmio sua verba magis caute
 ponderans majori etiam circumspectio-
 ne utebatur, atque una ex parte in-
 gens

gens in Italiam redeundi desiderium præferebat, ex altera tamen vehementius invehebatur in eos, a quibus se oppressum credebat, imo ne ipsi quidem Pontifici parcebat, & præcipue Joannem de Casa apud Venetos Pontificis Nuntium accusabat, quod ipsum ad suam a fide defectionem compulisset: cum vero Nuntius illum hortaretur, ut sese rursus Ecclesiæ aggregaret, ac veterum suorum Patronorum, qui tanquam Legati ad Synodum destinati erant, clementiam imploraret, Vergerius ingenuè quidem fatebatur, quod illis pene innumeris titulis obstrictus esset, sectam tamen, quam amplexus fuerat, ejurare, atque ad veritatis semitam, a qua misere deviabat, regredi abnuebat. Postea ad Mantuanum Cardinalem, qui ex Legatis unus erat, duas dedit epistolas, easque Delphino tradidit, qui illas etiam, priusquam huic Cardinali consignari curasset, Romam transmisit. Profitebatur in illis Vergerius summum erga patriam suam, atque Ecclesiæ pacem studium, & suam quoque operam ad tam excellens opus offerens indicabat, a se non parum auxilii allatum iri, si hunc Legatum alloquendi copiam haberet. Verum de suo errores revocandi animo nullum dabat indicium, sed duntaxat a Concilio, & Cæsare, ut tuto

Sæcul. XVI.

A.C. 1561.

Sæcul. XVI. Tridentum venire posset, publicæ securitatis literas petebat.

Lit. Bor

rom. 20. Maji 1561. Et epist. Mant. ad Borrom.

8. Jun. 1561

Verum Mantuanus Cardinalis, cum commiserat, huic hæretico responsum dare, minus consultum censebat, ratus, quod se a Pontificio Legato epistolam accepisse jactanter divulgans, hoc favore abuteretur, ut Protestantibus persuaderet, se a Romanæ Ecclesiæ Præfultibus tanquam Virum meritis uberimum haberi, atque illius ad eandem reditum largissimo pretio, ac præmio coemi. Nec etiam Cardinalem sua fefellit opinio; quippe Vergerius vir erat arrogantia tumens, suiplus idololatra, ac meriti, quo tamen aut omnino carebat, aut sat exiguum habebat, fiducia plenus turpibus hisce vitiis adjunctam habebat immodicam ambitionem: eapropter Mantuani cautela plurimum fuit commendata, prout patet ex literis, quas Cardinalis Borromæus hac super re ad eundem dederat: quinimo Nuntius, postquam Vergerii arrogantiam, atque imprudentiam indies magis crescere significabat, omnem cum eo consuetudinem deinceps abrumperre jubebatur. Equidem Legatus desiderabat, ut Vergerius nequaquam solus, sed unacum Sturmio, & Hieronymo Zanchio ad Synodum vocaretur, ibidemque

Lit. Bor-

rom. ad

Mant. 18.

Jun. 1651.

Et epist.

Borrom.

10. Octob.

que eorum opera novum cum hæreticis colloquium institueretur: verum Pa-
pa hoc Legati consilium reprobabat, haud ignarus, quod ii duntaxat ad Synodum accessuri essent, ut magis manifesta pertinaciæ suæ specimina ederent, indeque apud suæ factionis homines potius ampliorem sibi famam aucuparentur, quam ut ad Ecclesiæ Catholicæ gremium redire studerent.

§. XLVI.

Pontificis diploma circa Concilium a Vergerio impugnatum.

Hoc item anno Vergerius Argentinæ agens adversus Pontificis diploma, quo Concilium indicebatur, infamem edidit libellum, in quo petulanter, ac prolixè invehebatur contra Romanæ Curia fastum, luxum, ambitionem, avaritiam, corruptosque mores, quos nequiter admodum exaggerabat, hæc addens: „Concilium a Pontifice non prout oportuit, indictum est; nam non ad stabiliendam Christi doctrinam, sed ad firmanda infirmæ carnis divinis mandatis adversantis commenta, non ad purgandum ovile Dominicum, sed ad disseminandos hominum inveteratos errores, nec ad christianam libertatem, sed ad miserarum animarum servitutem, & oppressionem institutura

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Thuan. l. 28.

n. 7.

Ceremon.

Rom. l. 1. c. 3.

sect. 24.

Sæcul. XVI
A. C. 1561.

„videtur, quippe in eo juxta cæremo-
„nialis Romani præceptum, quod habe-
„tur lib. I. c. 3. fectionis decimæ quar-
„tæ, Episcopi duntaxat, Abbates, & ii
„omnes conveniunt, ac subscribunt Præ-
„sules, qui secundum formam jura-
„menti, quod ad dignitates promoti
„exsolvunt, ad Synodum venire tenen-
„tur; inferiores autem Ecclesiastici, ac
„sæculares Principes consulendi, ac in-
„struendi, non autem deliberandi, &
„decernendi gratia interesse permittun-
„tur: inde autem evenit, ut non solum
„illi, qui ob crassos, & erga Deum con-
„tumeliosos errores se ab Ecclesia Ro-
„mana separarunt, contra promissum a
„Paulo III. ad Synodi initia factum non
„audiantur, sed ut multi, ac peritiores
„ex illiusmet Ecclesiæ gremio Doctores
„ad sententiam dicendam non admit-
„tantur, hinc libertas, in qua spes sar-
„ciendæ concordiaë reliqua erat, omni-
„no aufertur, atque ad scissuram nun-
„quam e domo Dei eliminandam ja-
„nuæ aperitur.„

§. XLVII.

*Canobius a Papa ad Cæsarem
ablegatus.*

*Pallav. cap.
9. n. 1. & 12.*

Cum hæc calumniæ ad irritandos Ger-
manicæ Principes essent divulgatæ,
hinc Papa suos Nuntios ad eosdem ab-
legare

legare statuit, ac primo Canobium ad Cæsarem decernebat, specietenus quidem, ut Bohemiæ Reginæ rosam auream deferret, re tamen ipsa, ut cum Imperatore de pluribus, variisque negotiis ageret. Præprimis ergo Canobio injunctum, ut apud Ferdinandum, & Bavariæ Ducem excusaret, quod Papa cum Caraffis juxta æquitatis leges severius agere fuisset compulsus, simul vero utrique comprobatum redderet, quod conscientiæ lex vetuisset mitius agere: Verum præcipua huic Nuntio mandata dabantur circa proximam Synodum; quapropter Viennam delatus exponebat, quod a Pontifice duo Legati Gonzaga, & Seripandus jamjam Tridentum missi, & ad maturandum Synodi initium ingentes habiti fuerint apparatus, atque ideo Sanctitas sua impense rogaret Cæsarem, ut omnes Germaniæ Episcopos statim, ac Synodus inchoari posset, ad Tridentinum iter paratos esse curaret: cum vero Canobius Papæ Nuntius haud ignoraret, quod Cæsar exoptaret, ut ipsemet summus Pontifex unacum Patrum Senatu Concilio interesset, hinc eidem exposuit, quod Papa, licet semper Cæsaris votis non modo annuere, sed etiam ea prævenire paratus esset, in præsentem tamen rerum vicissitudine eundem rogaret,

Sæc. XVI.
A C. 1561.

F 4 quate-

Sæcul. XVI. quatenus huic postulato minime a Pa-
A.C. 1561. pa satisfieri posse, ipſus confideraret, eo-
 quod res ibidem nondum ſatis eſſent
 digeſtæ, quapropter Pontifex potius
 cum Cæſarea Maieſtate colloquium Bo-
 noniæ habere deſideraret, ut ibidem
 communi conſenſu ea, quæ ad matu-
 randum hoc negotium expedirent, de-
 cerni poſſent.

His quoque addebat Canobius, quod
 ſibi a Cæſaris Oratore Romæ fuiſſet ſi-
 gnificatum, præſtolari Imperatorem re-
 ſponſum a Papa, cum autem hic, de quo
 reſpondeat, ignoraret, hinc de Cæſaris
 mente certior reddi velit: cum autem
 in prioribus Synodis conſuetudo tuiſ-
 ſet, ut Græcorum Imperator, atque hu-
 jus Nationis Principes ad Concilium vo-
 carentur, idcirco Papa Cæſaris arbi-
 trio relinquit, an ad eam Legationem
 aut Commendonum nunc Lubecæ a-
 gentem, aut Delphinum decernere velit.

§. XLVIII.

*Cæſaris Reſponſum ad Papæ
Nuntium.*

Pallav. n. 3. Ad hæc reſpondit Ferdinandus, „fieri
 „non poteſt, ut Germaniæ Epifcopi
 „eo mittantur; vobis enim ipſis ſat com-
 „pertum eſt, quam periculofa evaderet
 „abſentia, niſi forte pariter ad Syno-
 „dum

„dum pertraherentur Protestantes, aut Sæcul. XVI.
 „saltem eorum violentiæ reprimerentur, A.C. 1561.
 „in qua cura defixus est animus meus:
 „de cetero responsum, quod a Pontifice
 „exspecto, Naumburgensis Conventus
 „decretum concernit:., Ceterum Fer-
 „dinandus nullam fecerat mentionem de
 congressu, quem Pius IV. se cum Cæ-
 sare Bononiæ habiturum sperabat, Pa-
 pæ tamen consilium de Moscoviæ Duce,
 ac Poloniæ Rege ad Synodum invi-
 tandis deprædicabat, ac tandem inque-
 bat, quod Hosii, & Canobii prudentiæ
 committat, num Delphinum, vel alte-
 rum ad hosce Principes decernere ex-
 pediat.

§. XLIX.

*Canobius Poloniæ Regem invisens,
 atque in Moscoviam contendere
 ab eo deterritus.*

Hæc tamen Legatio comittebatur Ca-
 nobio, quem Poloniæ Rex perbe-
 nigne excepit, pollicitus, quod suos Le-
 gatos æque, ac Episcopos ad Synodum
 ablegare velit: verum in Moscoviam
 tendere, Nuntio dissuadebat, eoquod
 tum inter Polonos, & Moscovitas atrox
 bellum ferveret, ac nequidem Nuntio
 liber, securusque pateret transitus per
 hosce schismaticos populos, qui jurati

*Pallav. u. 4.
 Thuan. l. 26.*

Sæcul. XVI. latinæ Ecclesiæ hostes omne cum Cæ-
A.C. 1561. fare commercium, aut cum alio quovis
 Principe, vel ejus Oratoribus respuunt: nihilominus Sigismundus Augustus Rex Canobio literas commendatitias ad Borussiae Ducem supremum Teutonicorum Equitum Magistrum dedit, eo fine, ut illum ad favorem Synodo præstandum induceret. Verum hic Princeps Nuntio respondit, quod conscientia stimulus accesserit ad Augustanam Confessionem, nec supremam in Romano Pontifice dignitatem agnoscat, adeoque sibi non licitum sit assentiri Concilio per eum convocato.

§. L.

Nuntius ad Helvetios a Papa decretus.

*Pallav. c. 9.
 n. 8.
 Sarpus hist.
 Conc. Trid.
 l. 6. p. 423.*

Insuper summus Pontifex ad Helvetios, qui tum Badæ prope Tigurum sua habebant comitia, Joannem Antonium Vulpium Noviocomensem Episcopum ablegabat, qui Nuntius adeo benevole excipiebatur, ut quidam Tigurini Magistratus Senator, si tamen Sarpio fides habenda, Pontificis diploma a Canobio traditum deosculatus fuerit, ac Papa, ut prosequitur idem Scriptor, ea re cognita continere se haud potuerit, quin omnibus apud se residentibus Legatis eam rem cum maxima lætitiæ significatione renuntia-

nuntiaret. Postmodum Synodi proposi-
tio, cum in hoc Helvetiorum conventu Sæcul. XVI,
A.C. 1561.
ad deliberationem vocaretur, nequa-
quam eadem submissione excepta fue-
rat; quinque enim hæreticarum Tri-
buum Procuratores varias obtendebant
excusationes, quibus Pontificis voto
annuere sese præpediri affirmabant: alii
vero caussabantur, quod ad id debitis
haud instructi mandatis, nihil ex
proprio arbitrio hac super re decidere
vellent: alii denique asseriebant, quod
nondum certi essent, an Principes ad
hoc consentirent: insuper clarius ad-
huc alii mentem suam promebant, di-
centes, quod diversam profitentes Reli-
gionem ea, quæ sibi a Romanis trans-
missa fuissent, acceptare nequirent: Ve-
rum reliqui octo Pagi, quorum septem
sunt Catholici, atque ex illis unus Ca-
tholicis, ac hæreticis permixtus, suos
Deputatos ad Synodum mittere, nec-
non ejus decretis sese submittere polli-
cebantur.

§. LI.

*Commendonus Leodium, Aquisgranum,
aliasque in urbes delatus.*

Sperabat Imperator, se a Daniæ Rege *Pallav. c. 7.*
abs dubio publicæ securitatis literas *n. 3. & 4.*
eo fine obtenturum, ut Commendonus *Gratian. l. 2.*
illius ditiones adire, eumque ad Syno-
dum *c. 4.*

dum

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
 dum invitare possent, cum igitur Com-
 mendonus Cæsaris responsum hac su-
 per re præstolaretur, interea agere sta-
 tuit cum Leodiensi Episcopo, qui Mar-
 chionis Bergensis Patruelis non modo
 generis nobilitate, sed & virtutum emi-
 nentia longe illustrissimus erat. Hic
 Præsul Synodo se obtulit, non solum
 prompte, sed & hilari animo, & quam-
 vis gravibus morbis affligeretur, infir-
 maque corporis habitudine langueret,
 nihilominus Sedis Apostolicæ Nuntius
 flagrantissimum ejus studium, ac inde-
 fessam hujus Præfulis solertiam in Dice-
 cesis suæ regimine haud satis admirari
 poterat. Postea Commendonus Aquis-
 granum petiit, ubi de Religionis fervo-
 re horum civium summopere lætaba-
 tur; hi enim plusquam quingentos hæ-
 resi infectos urbe sua expulerant, lege
 ab eis condita, ne deinceps cuiquam li-
 ceret Magistratum adire, nisi prius se
 Catholicum esse, atque in Religione or-
 thodoxa usque ad mortem perstiturum
 jurejurando contestaretur. His itaque
 Nuntius Papæ literas tradidit, omnes-
 que palam profitebantur, quod Synodi
 decreta inviolabili obsequio acceptare,
 necnon summo Pontifici sese integra fi-
 de subicere semper parati essent.

§. LII.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.*Nuntius in Belgium redux Admini-
stratricem, & Granvellanum
Cardinalem visurus.*

Commendonus magis adhuc præclara
zeli sui erga religionem specimina *Pallav. c. 7.
n. 5.*
edebat, cum in Belgium reverti iussus
sibi obstringere satageret Margaritam
Austriacam Parmæ Ducissam, Notham
Caroli V. filiam, ac Belgii Administra-
tricem, necnon Granvellanum Cardi-
nalem, quem tanquam primum Regii
Senatus Ministrum Philippus II. Marga-
ritæ adjunxerat. Hic idem Præsul in-
genii acie, animoque literis apprime
exculto insignis insuper ingenti Religio-
nem in sua integritate conservandi stu-
dio flagrabat: præterea summam erga
Principes submissionem populo inspira-
re maximopere studiosus erat: igitur
cum illo Commendonus circa magis
opportuna fidem roborandi, atque ab
hæresibus, quæ in nobilioribus Europæ
ditionibus religionem debellabant, vin-
dicandi media frequens habebat collo-
quium, inde vero ambo sæpius opta-
tam nanciscebantur occasionem, qua vi-
cissim ingenii sui excellentiam, soli-
damque judicandi vim patefacere pos-
sent. Ceterum non deerant, qui iter
in

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

in Daniam Commendono dissuadere nitentur, ac præprimis Administratrix, & Granvellanus, qui itidem Nuntium ab hoc itinere abstertere cupiebant, eidem hujus Regni Principem depingebant tanquam Regem adeo parum Romanæ Curia propensum, ut potius timendum, ne summi Pontificis dignitatem temerario ausu vilipenderet: quocirca consultius fore dicebant, si ad illum duntaxat Pontificis literæ mitterentur. Verum reposuit Commendonus: „Siquid imperat Princeps, non „est Ministri illud in deliberationem, sed „in opus deducere; de cetero autem „Pontifex pluris habet charitatem, „quam dignitatem suam.

§. LIII.

Pontificis diploma ad Granvellanum circa Baji causam datum.

Bajana seu
2. pars oper.
Baji p. 35.
Et 194.

Commendonus, donec iter suum agredi posset, interea Lovanium contendit, ut sedaret tumultus, quos Michaelis Baji causa inter hujus Universitatis Theologos suscitare cæperat, prout jam anno priori memoravimus. Hanc in rem ineunte hoc anno Granvellanus Cardinalis ad Pium IV. Papam literas dabat, supplex, quatenus utrique contendentium parti silentium imponendi facultatem sibi impertiri vellet:

ita-

itaque Pontifex ejus precibus lubenter annuens, transmissio diplomate Cardinali ampliore agendi auctoritatem concedebat, priusquam vero is hujus diplomatis facultate uteretur, Bajum, & Hesselium adesse jussit, atque utrumque sibi a consiliis esse, atque ampliatione honorare voluit, quo beneficio illos sibi adstringens praesentes exposuit dissensiones, ab utroque postulans, ut sese plene subjicerent Sacrae Sedis judicio, ac Synodi decretis. Acquievere ambo Doctores lubenti admodum animo: porro postea consilium petebat a supremo Franciscanorum Ministro, qui ad tollenda haec diffidia nullum aliud magis opportunum subesse dicebat remedium, nisi ut silentium utrinque fervetur: insuper pollicebatur, quod ad illud Ordinis sui Religiosos adstringere vellet: nec minus idem Granvellanus Cardinalis ab Universitatis Doctoribus petiit, obtinuitque: quanto citius igitur Cardinalis tam prosperum conatus sui successum Hispaniae Regi significabat, hancque in rem die decima octava Octobris ad eundem Bruxellis literas dabat, quibus Orthodoxam Baji, & Hesselii doctrinam, scientiam, ac pietatem pluribus commendabat, gravi sermone Regi exponens, quod non minus ipsi periculofum, quam Ecclesiae noxium

Saecul. XVI.
A. C. 1561.
*Lit. Card.
Granvel.
quæ Vesontii
in Abbatia
S. Vincentii
asservantur.*

Sæcul XVI.
A. C. 1561.

noxium foret, si nimia severitate hi Doctores ad extrema, quorum exitus utrinque perniciosissimus esse posset, adigerentur, proin suadendum potius, ut in toto hoc negotio lenitatis via incedatur. Placuit Philippo Regi Cardinalis monitum, quocirca die decima septima Novembris Madrito datis ad eum literis respondit, quod hæc causa nulli aptius, quam ipsimet committi posset, ac propterea illum rogaret, ut deinceps suam in ea sollicitudinem impenderet, omnesque has dissensiones ea, qua poterit, promptitudine sedare niteretur. Verum Baji hostes promissum hoc silentium adeo non servabant, ut etiam præ ceteris priores altercationem rursus accenderent, Granvellano supplicem porrigentes libellum, in quo plures propositiones huic Doctori adscriptas proferebant, easque ferme omnes tanquam de errore, aut hæresi suspectas denuntiabant: illas vero Cardinalis communicabat Bajo, qui dato responso quanticius illas remisit.

§. LIV.

Bajus, & Hesselius ad Tridentinam Synodum nominati.

Pallav. c. 7.
n. 8.
Bajana l. c.

Sub idem tempus Commendonus, qui tum in Belgio agebat, edocebatur, quod Bajus, & Hesselius, ut ad Tridentinam

nam

nam Synodum irent, ab Universitate Sæcul. XVI.
 fuissent nominati: cum autem de horum A. C. 1561.
 discessu, ac felici exitu dubitaret, hac
 super re ad Mantuanum Cardinalem
 Synodi Legatum perscribens eidem ex-
 posuit, quod non minus periculum exci-
 tet concedendus iisdem, quam dene-
 gandus ad Synodum accessus: data e-
 nim abeundi copia timendum, ne suos
 errores libere divulgent, novosque tu-
 multus præcipue in Germania concitent:
 repulsa autem facta, vix non certum,
 quod Protestantes inde contumaciæ suæ
 tegumentum sint accepturi, caussantes,
 nolle se interesse Concilio, in quo Docto-
 rum Catholicorum, qui eruditionis fa-
 ma clari sint, linguis frænum injiciatur.

§. LV.

*Commendoni judicium de utroque hoc
 Doctore.*

His insuper addidit Nuntius: „Nolo qui-
 „dem infaustum præsagium de hu-
 „jusmodi viris præcinere, pestilentia
 „tamen grassante omnis morbus in con-
 „tagionem facile commigrat; nam com-
 „pertum mihi est, quod Ruardus Tap-
 „perus in theologicis disciplinis Lov-
 „anii præclarus, cum is in illa Academia
 „docens, in Bajo, & Hasselio, tum ad-
 „huc studiosis, & juvenibus infaustam
 „ingenii, & audaciæ conjunctionem ob-

Hist. Eccles. Tom XLIV.

G fer-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„servaret, solitus fuerit dicere, se non nisi
 „schisma ab illis præstolari, & propterea
 „theologicam ipsis lauream concedere
 „distulisse, cum profecto viderentur scien-
 „tiæ suæ nimis amantes, quamvis alio-
 „qui probi, & modesti crederentur:
 „porro hæc illa verba sapienter usurpa-
 „vit, digna, quæ a nobis repetantur:
 „cum cujusque superbia in ea arte, quam
 „profitetur, sita est; insuper illis favent
 „plerique ex iis, qui theologiæ studium
 „absolverunt, & plures, ut vocant, Bac-
 „calaurei, necnon dimidia fere Docto-
 „rum pars, quorum aliqui contraria im-
 „buti doctrina ad novos Episcopatus, in
 „illis provinciis erectos, recens admo-
 „ti erant: remanserat idcirco Lovanii
 „eorum factio, & eo validior, quod nume-
 „ro præstans, & fortasse infensa, quasi
 „posthabita. Bajus profitetur quidem
 „se Apostolicæ Sedi admodum oblequen-
 „tem, attamen ab aliqua ipsius voce
 „suspectus redditur: Alius etiam in A-
 „cademia antiquissimus Doctor erat, qui,
 „cum Bajum inviseret, lenissimam ad
 „ipsum cohortationem habuit, ut omne
 „certamen præcideretur in ea Acade-
 „mia, quæ columen Ecclesiæ dici pote-
 „rat, quam etiam admonitionem æqui,
 „bonique consulere videbatur, sed po-
 „stea scripsi ad illum Epistolam, in qua
 „ipsum

„ipsum rogabam, ut sub obtentu suam
 „vindicandi innocentiam suas doctrinas
 „in examen adduci, ac de ipsis disputa-
 „tionem fieri permitteret: cum nol-
 „lem hunc Theologum seu refellen-
 „do exacerbare, seu laudando in sen-
 „tentia obfirmare, seu silendo penitus
 „a me alienum reddere quasi despectum,
 „attamen ipse excusaverat se apud eum,
 „qui epistolam ei detulerat caussatus,
 „quod, cum extemplo inde discessurus
 „esset, responsum scripto remittere non
 „liceret, amicas tamen salutationes
 „suas oretenus reddere vellet. „

Sæcul. XVI.
 A. C. 1561.

Raynald. ad
 hunc ann. n. 4
 Pallav. c. 7.

§. LVI.

*Commendoni literæ ad Cardinalem
 Mantuanum de hisce Doctoribus.*

Insuper Sedis Apostolicæ Nuntius ad
 Mantuanum Cardinalem perscripse-
 rat, quod tunc temporis colloquio fue-
 rit usus cum Hesselio, opera Everardi
 Mercurini, qui tum Jesuitarum Provin-
 cialis erat, & postmodum S. Francisco
 Borgia circa annum millesimum quin-
 gentesimum septuagesimum tertium fa-
 tis functo supremus ejusdem Societatis
 Moderator evasit. „ In hoc colloquio
 „inquirebat Commendonus, de Hesselii
 „probitate, ac eruditione haud medio-
 „crem concepi existimationem: cum
 „autem eidem grave detrimentum, quod

G 2 „ propter

Sæcul. XVI
A.C. 1561.

„propter illum passura esset Ecclesia, ob-
„jicerem, illumque hortarer, ut cuncta
„hæc dissidia sedare vellet, hic Theolo-
„gus ad revocandam pacem totum stu-
„dium impendere, paratus videbatur:
„Verum in hac occasione non minus
„æmulorum vehementiam, quam illo-
„rum pertinaciam reformido: etenim
„hi, cum hujus Doctoris dogmata in Hi-
„spania a Complutensi, & Salmanticensi
„Universitatibus proscripita cernerent,
„crescente eorum audacia, atque æqui-
„tatis fiducia minabantur, se Romam
„scripturos, curaturosque, ut hæ pro-
„positiones ibidem tanquam hæreticæ
„damnarentur: idcirco hac in re meum
„est consilium, ut summus Pontifex,
„caussa ad tribunal suum evocata, omni-
„bus silentium imponat, interim vero
„operam det, ut ambo hi Doctores Tri-
„dentum pergant, ubi Legatorum soler-
„tia facile illi cum suis hostibus recon-
„ciliari possent. „

Interim Mantuanus, & Seripandus
Cardinales, qui jamjam ante Synodi i-
nitium Tridentum pervenerant, varia
excogitabant consilia, quibus Commen-
dono communicatis ab eo sciscitaban-
tur, quid demum ille hac in re sentiret.
Is censebat, quod summus Pontifex, quin
Baji, & Hesselii nomina proderentur,
diploma ederet, vi cujus Patres Fran-
ciscani,

ciscani, aliique circa hæc controversias disputare prohiberentur: interea vero ambo hi Theologi sub honoris specie ad Synodum mitterentur, iisque quoque duo magni nominis Doctores Lindanus, & Titelmanus adjungerentur, maxima celeritate eo profecturi, ut Legati, priusquam Synodi negotiis graviter dissentirent, libere cum illis agere, eosque sibi devincire valeant. Primum hujus consilii caput mox effectui datum, alterum vero, scilicet utriusque Doctoris Baji, & Hesselii discessus, usque ad anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertii initium differabatur, eo autem tempore soli ab Hispaniæ Rege Tridentum decernebantur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

§. LVII.

*Erfordienfis Principum Protestantium
Conventus.*

Ferventibus hæc diffidiis Protestantes *Pall. l. 15.*
Principes suum Erfordiæ, prout jam *6. 8. n. 1.*
antea decreverant, celebrabant conventum, cui intererant quidam horum Principum Consilarii, nec tamen circa doctrinam inter eos concordia conciliari poterat; nam fervebat præcipua, magisque pertinax discordia circa Christi præsentiam in Eucharistia; quamvis enim Protestantes ad concordiam seu quærendam, seu potius simulandam,

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

novam ibi confessionem confecerant, cui plures civitates, pluresque Imperii Ordines subscripserant, necdum tamen inter eos erat opinionum consensus; quippe unice conspirabant in molienda Catholicorum pernicie, cum inter se distribuerent destinata jam spolia Ecclesiarum omnium, studerentque, si possent, Imperii sceptrum auferre ab Austriaca familia, quæ ipsis quasi cedrus videbatur, ex annorum diuturnitate caryem hæresis nunquam passura: quocirca tunc novi Romanorum Regis electionem impedire nitebantur; cum enim Ferdinandus Maximilianum filium suum eligi curaret, hæretici illo excluso Daniæ Regem nominari petebant, eoquod hic Princeps esset illis sectæ societate conjunctus, sanguine aliquantulum Germanus, tantaque potentia præditus, ut contra hostium suorum insultus Imperii dignitatem tueri posset: hinc indies decrescebat in Commendone spes, qua Daniæ Regem a Protestantium foedere sejungere, illumque ad Synodum allicere optabat, sperabatque, ab eo saltem suos Legatos eo decernendos.

§. LVIII.

Commendonus Lubeca in Sueciam contendere jussus.

Interea

Interea Imperator nullum non movebat lapidem, ut publicæ securitatis literas obtineret, quibus Nuntius probe munitus tuto in Daniam pergere posset: eapropter Cæsar ad Casparum Scenichium perscripsit, quem Nuntio tanquam Imperatoris Deputatum, itinerisque socium adjunxerat, ne in ullo Imperii loco hujus Sedis Apostolicæ Nuntio injuria inferretur: insuper Casparo negotium dedit Cæsar, ut a Daniæ Rege publicas securitatis literas impetrare urgeret. Hac spe fretus Commendonus ineunte Menſe Julio e Belgio profectus, Lubecam, seu Trevam urbem in Imperii finibus prope mare Balticum sitam pervenit, ubi Regis responſum præſtolabatur: cum vero aliquamdiu Lubecæ moraretur, in Sueciam contendere juſſus eſt, eo quod Oſius ex Pontificis conſenſu eundem ad hoc iter ſuſcipiendum ſelegiſſet: porro paucis poſt diebus Daniæ Rex Scenichio hæc in reſponſis dari præcepit: „tuus acceſſus, cum a Cæſare Domino „tuo, atque avunculo meo miſſus es, ac- „ceptiſſimus mihi erit, & libenter, ubi „ſolus ad me perges, te Haſſniæ ex- „ſpectabo: quod autem ſpectat ad Pon- „tificium Nuntium, qui ſimul ad me „ſcripſerat, cum compertum ſit, quod ne- „que Regio parente meo vivente ullum

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
Pallav. c. 8.
n. 2.
Gratian. l. 2.
c. 4.
Lit. Com-
mend. ad
Borrom.
Trev. II.
Juli & ad
Mant. &
Oſium 28.
Julii.

G 4 „unquam

Sæcul. XVI.
A. C 1561.

„unquam commercium intercefferit,
„hinc deliberandum prius est, num
„expediat aliquam cum Romano Pon-
„tifice communicationem habere; quare
„in hoc rerum articulo satius puto,
„Nuntio petenti, ut ad meas ditiones,
„& colloquium admittatur, nequaquam
„assentiri: proinde te rogo, ut id signi-
„fices Nuntio, illique suadeas, quate-
„nus susceptum a me consilium æqui,
„bonique consulat.

§. LIX.

*Responsum a Suecorum Rege Com-
mendono datum.*

Gratian. vit.
Commend.
l. 2. c. 3.
epist. Regis
Sueviæ ad
Comm.
24. Aug.
1561. lit.
Comm. ad
Borrom.
1. Sept.

Nihilominus Commendonus aliquam-
diu Lubecæ subsistens ibidem se-
curitatis cautionem a Suecorum Rege
præstolabatur: verum hic Princeps, cum
paratus esset cum valida classe in An-
gliam trajicere, ab Elisabetha Regina
inani spe conjugii illectus, hinc duntaxat
die vigesima quarta Augusti ad Nuntium
litteras dabat, in quibus illum tamen
Reverendissimum Patrem, ac Romani Pon-
tificis Legatum appellabat. Ceterum hic
Princeps, quamquam in Lutheranorum
erroribus institutus esset, ut tamen sibi
Elisabethæ animum, cujus magnopere
affectabat nuptias, conciliaret, Calvinii
etiam sententiam amplexabatur.

Epi-

Epistolæ, quam ad Commendonum Sæcul. XVI.
A. C. 1561.
perscripserat, sequens erat tenor: Quia
de nostra ad Serenissimam Anglicæ Reginam
profectione hæctenus incerti fuimus, factum
est, quo minus ante hoc tempus certum lo-
cum nostri congressus vobis designare potui-
mus: jam vero postquam animum induxi-
mus, & certo decrevimus primo secundo
vento spirante, in Angliam vela facere,
noluimus vobis hoc ipsum celare: nam modo
vobis placeat nos in Angliam sequi, ubi ve-
stram audire legationem, quamprimum de
vestra præsentia apud nos in Anglia certi
facti fuerimus, minime gravabimus: quod
ad fidem publicam attinet, quamvis absque
ea tuto vos accedere, & immunitate Lega-
torum frui, & gaudere potueritis: quia
tamen vobis literas publicæ fidei, ac securi-
tatis præstari postulatis, ne videamur vobis
ex aliquo velle deesse, eas per præsentem ta-
bellarium ad vos mittimus, & vos favore,
& benevolentia complectimur.

Acceptis hisce literis Nuntius in
Flandriam regredi statuit, ibidem in
Angliam, quamprimum de Regis ad-
ventu ad hoc regnum certior factus esset,
navigaturus. Ceterum haud obscure
præsentiebat, quod illum ibidem ægre
admodum convenire posset; dubitabat
enim, ne a Regina Angliam ingredi
prohiberetur, quantumvis nonnisi ex-
tero Regi colloqui desideraret: nihilo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

minus aliquot menses in Flandria sub-
stitit, Rex vero Sueciæ, postquam ter
incassum Angliam versus solvisset, sem-
perque a vento adverso repulsus fuisset,
terrestri itinere eo pergendi consilium
inire cogebatur.

§. LX.

*Ampla Daniæ Regis consilia suo exitu
frustrata.*

Pallav. c. 8.
num. 7.

Interea Commendonus nuntium acce-
pit, quo ob extrema Religionis de-
crementa, quæ exinde pertimescebat,
anxiis admodum curis agitabatur, quip-
pe Fridericus II. Daniæ Rex ad Mariæ
Viduæ Scotorum Reginæ nuptias ad-
spirabat, quinimo, ut fama ferebat,
hujus Principis jura, quæ in Angliæ
Regnum habebat, resuscitare molieba-
tur, nihilque intentatum, & inausum re-
linquebat, ut armorum ope Regno po-
tiri posset; firma prosperi successus spe
potissimum exinde concepta, quod Eli-
sabethæ regimen Anglis parum probari
crederet: insuper rumor spargebat,
quod idem Fridericus Sueciæ etiam Re-
gnum recuperare pararet, id vero, si
feliciter perficeret, abs dubio inde ex-
tremum Catholicis Principibus exitium
impenderet: attamen cuncta hæc ut ut
amplissima Daniæ Regis consilia e-
vanue-

vanuerunt, omnique fucceſſu frustrata
fuere.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

§. LXI.

*Commendonus in Belgium redux Ro-
mam reverti iuſſus.*

Itaque Commendonus abjecta Sueciæ
Regem conveniendi ſpe Lubeca di-
ſceſſit, ac biduo poſt Hamburgum, quod
Cæſareum, atque Hanſenaticum Ger-
maniæ oppidum, in Saxonia Inferiori
ad Albi ſitum eſt, delatus iter ſuum
Bremam verſus proſequebatur, inde
vero Viſurgi nobiliſſimo Germaniæ flu-
mine vectus Holandiam, Friſiam, &
Weſtphaliam peragravit, tandem Bru-
xellis ſubſiſtens, ubi a ſummo Pontifice
litteras accepit, quibus ſignificatum,
quod ejus conſilium de dimittenda Sue-
ciæ Legatione approbaret Pontifex, ei-
que in Italiam redire præciperet; in
itinere autem Principes, atque Episco-
pos, quos in Rheni tractu vicinos ha-
beret, adiens ſollicitaret, ut vel ipſi-
met ad Synodum pergerent, vel ſaltem
Legatos ſuos eo decernerent: itaque
Commendonus Papæ juiſſis prompte ob-
temperaturus Nancejum contendit, &
juvenem Lotharingiæ Ducem inviſit,
ubi etiam ejusdem nominis Cardinalem
invenit, ac cum eo de variis Religio-
nem tam in Galliis, quam in Scotia con-
cernen-

*Pallav. l. c.
Gratian. l. c.
lit. Borom.
ad Commend.
25. Octobr.
reſponſ.
Comm.
18. Nov.
1561.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

cernentibus negotiis conferebat. Postea Treviros se contulit, indeque Mosellam trajiciens prono Rheni fluvii decursu vectus Assemburgum venit, ubi tum agebat Moguntinus Archiepiscopus ex omnibus Electoribus primus, ac maxime conspicuus. Verum apud Protestantes parum profecerat Nuntius; quamvis enim nulli parceret labori, multisque sese subjiceret molestiis, nihilominus tamen pro Synodi incremento nihil ab eis impetrare poterat.

§. LXII.

Valdenses in Delphinatus, & Sabaudice montibus.

Petr. de Vauxarnay hist. Albig. Bossuet hist. des variat. l. II. art. 71. & suiv.

Sinister hic Legationis successus haud parum affligebat Pii IV. Pontificis animum, verum magis adhuc acuebatur doloris sui vehementia, postquam compererat, quod Valdenses in vicinis Italiae locis dispersi tumultuari inciperent: verum hujus rei Historia ab alto repetenda est. Exeunte sæculo duodecimo quidam prædives Lugdunensis Mercator nomine Petrus Waldo, seu Valdo in Delphinatu ortus magno numero pauperes collegit, iisque ingentes distribuit eleemosynas, qui ideo pauperes de Lugduno passim nominari cœperunt: at Petrus ex spurio pietatis Zelo in hæresin prolapsus est; credebatur enim, quod

quod ejus Discipuli eadem polleant potestate, qua Sacerdotes, ut proin Sacramenta conficere, & administrare valeant: interim ipse Petrus ob errores suos Lugduno, ubi nonnihil modestius agebat, ejectus fuit, postea vero ruptis omnibus moderationis, ac decentiæ repagulis, quicquid sanctum, sacrumque in Religione est, pessumdare cæpit, sibi que tanquam impietatis suæ asylum Delphinatus, & Sabaudix montes selegit: porro hi hæretici ad Mont-Cenis, Lusernæ, Angrunæ, Perosue, & Fresconaræ valles sese receperunt, ubi perversa eorum doctrina tam altas egerat radices, ut haud amplius evelli potuerit. Horum Sectatorum primi Anno Christi millesimo centesimo octogesimo primo a Lucio III. Papa fuere condemnati, postea tamen Anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo suam doctrinam Romæ approbari petebant: verum ab Innocentio III. repulsam passi, tertio post anno in Lateranensi Concilio IV. proscripti fuerunt, eoquod absque missione prædicandi auctoritatem sibi arrogassent.

§. LXIII.

Bellum a Sabaudix Duce in eos motum.

Hi

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

*Thuan. hoc
ann. lib. 27.*

Hi hæretici progressu temporis Calvini Sectæ nomen dedere, postquam enim illa Genevam infecerat, ipsi eam lubenti animo amplectebantur: cum vero eorum ditionem Galli paulo post occupassent, illos Taurinensi Magistratui, qui Senatus nomen sibi vendicabat, subjecerunt, eisque indicta capitis pœna Calvinii errores profiteri inhibuerunt: hi tamen hæretici illius disciplinam, ac fidei confessionem sequebantur, quin desuper fuissent vexati, donec Philibertus Emanuel Sabaudia Dux post Cameracensem pacem, recuperato ducatu suo ad preces, & Pontificis sollicitationes subditos suos, qui in istis vallibus habitabant, ad officium revocare inciperet, illosque ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem reducere niteretur: eapropter ad pii hujus operis executionem tres selegerat Viros Thomam Jacomelum Ordinis S. Domini, hæreticæ pravitatis Inquisitorem, necnon Turbim, seu Corbim Virum ingenio vehementem, ac denique capitalium rerum Præfectum. Hi omnes tres Cariniano accersiti in suspectos diligenter, ac severe inquirere jubebantur: comitis tamen Lusernensis, aliorumque ex Angroniana valle Nobilium precibus datum est, ut remissius cum iis ageretur: verum hæc moderatio haud

haud erat diuturna, quippe paulo post plurimi ex iis, qui hasce valles incolabant, rogi supplicio, aliisque pœnis mulctabantur: alii vero ad triremes damnati, & non pauci vitæ gratia donati sunt, ne regio incolis penitus destitueretur: ceterum omnes hæ severitates Sabaudia Ducis morbo interrumpabantur.

§. LXIV.

Libellus supplicis Duci, Ducissæ, ac Senatui a Valdensibus porrectus.

Paulopost Philibertus Sabaudus Ranconus Comes, Vir lenitatis, & patriæ tranquillitatis studiosus ad Angro-
Thuan. l. 27.
num. 3.
 niam vallem descendit, atque ibi adveniens non sine magna adstantium admiratione concioni, quæ tunc forte habebatur, interfuit, qua benigne audita spurii Evangelii Ministros sevocat, & pauca de Principis ægritudine præfatus nequaquam istas vexationum procellas illius jussu excitatas affirmat, rogatque eos, ut rationem inirent, qua ipsius animus mitigari posset: verum illi ad hæc Philiberti verba responderunt: „non aliud nobis superest remedium, „nisi ut ei nostri hujus populi innocentiam manifestam reddamus, atque „ea ex causa jam antea per Carolum Lu-

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

„Lufernæ Comitem eidem libellum offer-
 „re curavimus, quo nostræ confessionis
 „capita continebantur, sed nescimus,
 „an hic ad illum perlatus sit, proinde
 „oramus te obnixè, ut in miserorum
 „hominum gratiam eodem officio apud
 „Principem perfungi digneris, oblati-
 „que tribus libellis, unum Principi, al-
 „terum Margaritæ ejus Uxori, in cujus
 „æquitate magnum præsidium ponimus,
 „tertium Senatui tradi petimus., Ac-
 „ceptis hisce libellis & re in Principis
 „consilio agitata Raconius Comes ad eos
 „reversus exposuit, quod eorum profes-
 „sio fidei Romam fuerit transmissa, atque
 „ad eam responsum propediem ex-
 „spectetur.

§. LXV.

*Publica cum eorum Ministris disputa-
 tio per Pontificem interdicta.*

Interea Dux disputationem publicam
 institui voluit, in qua quidam Ca-
 tholicorum Doctores ex una, ex altera
 vero parte celebriores hæreticorum Mi-
 nistri in arenam descenderent; cum
 vero Dux absque summi Pontificis vo-
 luntate, ac consensu nihil aggredi vel-
 let, rem eidem proponi jussit, trans-
 missa etiam fidei confessione: verebatur
 autem Pontifex, ne tunc, si Ducis vo-
 luntati cederet, ceteri quoque Princi-
 pes

pes Catholici, quorum ditiones Luthe-
 ranis, & Calvinittis infectæ erant, idem
 postularent, aut omnino ejusmodi di-
 sputationes Papa etiam haud consulto
 habere molirentur, caussaturi, quod
 id aliis jamjam fuerit concessum, hinc
 Duci in responsis dedit: „disputatio-
 „nem, vel colloquium habere superva-
 „caneum mihi videtur, cum ipsemet,
 „si Vallenses hi populi in fide erudiri
 „volunt, ad eos Nuntium, atque ido-
 „neos submissurus sim Theologos, qui
 „illos veritatem edocerent, atque Ec-
 „clesiæ reconciliare possent, quam-
 „primum ex eis pronam sese subjiciendi
 „voluntatem experturi essent: de cetero
 „autem exiguus emendationis fructus
 „ab eis sperandus est tum ob eorum
 „pertinaciam, tum ob opinionem per-
 „peram conceptam, quod erga illos
 „duntaxat tum lenitatis via adhibea-
 „tur, quando eos armis compellendi
 „vires deficiunt. Denique experien-
 „tiæ testimonio comprobatum est, quod
 „ejusmodi colloquia plerumque fructu
 „careant, hinc magis consultum vi-
 „detur, si contra hæreticos justitiæ via
 „adhibeatur, imo etiam, si illa minus
 „valida foret, ad arma recurratur, nisi
 „forte Synodi exitum expectare præ-
 „placeat. Verum Sabaudix Dux ar-

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

H mo-

Sæcul. XVI
 A.C. 1561.

Sæcul. XVI. morum vim præferens prompte copias
A.C. 1561. conducere iussit.

§. LXVI.

Valdenses sumptis armis sese defendentes.

Thuan. l. c. **R**e comperta Lufernenfes, & Angro-
 niani Ministri, conventu habito,
 unanimi consensu censuerunt, vitam
 non esse adversus Principem tuendam,
 sed potius asportatis ex bonis, quæ com-
 mode possent, in proximos montes se-
 cedendum. Postea jejunium indice-
 bant, sumptaque cœna Dominica una-
 omnes Ministrorum sententiæ morem
 gerere paratos sese exhibebant: verum
 non defuere postea alii pastores, qui
 sententiam contrariam defendebant, asse-
 rentes, quod liceat in tanto discrimine,
 ac pœne desperatis rebus hostium im-
 petum armis repellere, præsertim cum
 nequaquam contra Principem, sed ad-
 versus Pontificem, qui Principis po-
 testate abutitur, neque in caussa Reli-
 gionis, sed pro uxorum, ac liberorum
 salute arma in hac occasione sumerent:
 nihilominus priori sententiæ unaomnes
 acquievere, unde eorum potissimi ad
 Helvetiorum, & Rhætorum ditiones
 secesserunt, alii vero ad arma convola-
 runt, prius tamen declarantes, quod
 nonnisi extrema sese defendendi neces-
 sitate

fitate adacti bellum moveant, de ce-
 tero ad obsequium redire, suoque Prin-
 cipi submissionem præstare parati sint,
 quamprimum tranquille vivere permit-
 terentur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

§. LXVII.

*Valdensis belli initium a Sabaudia
 Ducis exercitu factum.*

Itaque Mense Octobri Anno Christi
 millesimo quingentesimo sexagesimo
 jamjam bello dabatur initium, illudque
 octo omnino Menses protrahebatur: die
 autem secunda Novembris Sabaudia
 Ducis copiae ad Lusernensem vallem
 descendunt ductore Trinitensi Comite.
 Porro levibus mox præliis certatum:
 cum autem vallium incolæ, qui se Con-
 vallenses dicebant, ad montes quanto-
 cius dilaberentur, aditusque occlude-
 rent, hinc eorum hostes ad Sancti Joan-
 nis oppidum in Angronia valle situm
 contendebant, atque in quodam prato
 Torni dicto exercitum suum lustrant,
 interceptis aliquot incolis, qui nondum
 suffugerant: cum vero per vineta ad
 occupandos a tergo aditus miles ac-
 curreret, incolæ exiguo licet numero,
 fundis tamen & ballistis armati advolant,
 cum autem se variis locis oppugnari,
 & quodammodo cingi cernerent, quan-
 tum hostes instabant, tantum illi sen-

Thuan. l. 6.

Sæcul. XVI. A.C. 1561. sim ad montes sese recipiebant, ac ubi-
 cunque locus, aut occasio se pugnae
 commoda offerebat, ibi strenue dimi-
 cantes pedem figebant, pugnamque in
 noctem nullo gravi damno accepto
 extrahebant. Postea Trinitensis Co-
 mes castrametabatur apud Turrim, qui
 vicus in Lusernensi valle amplissimus
 ad radices montis situs est, ibidemque
 Comitis jussu munimentum olim a Gal-
 lis dirutum instauratum, ac praesidio
 firmatum fuit, pariterque Villaria, Pe-
 rofia, & Sancti Martini arx a milite
 occupata.

§, LXVIII.

*Valdenses ad libellum supplicem Duci
 porrigendum a Trinitensi
 Comite inducti.*

Thuan. l. 27. Post hæc Angronii a suis foederatis,
 qui sub Gallorum potestate Perolixæ,
 Sant-Martini, & Pragellæ habitabant,
 auxilium petebant, eosque rogabant,
 ut in communi causa vota, opes, &
 consilia conjungerent. Id ubi compe-
 rit Comes Trinitensis, veritus, ne de-
 speratio novum pæne victis robur ad-
 deret, ut eorum vires in diversa distra-
 heret, misso ad Angronios puero illis
 spem veniæ obtulit, si supplices pœnam
 deprecati clementiam a Principe pete-
 rent: postea coram eorum legatis te-
 status

status est, quod Sabaudiaë Dux, etiam si Pontifex, ac ceteri Italiaë Principes, & civitates ad delendam penitus Valdensium gentem firmiter conspirarent, atque ad id ipse quoque incitatus esset, cum ipsis mitius agere decrevisset, ac Principis uxor ipsis propitia existeret, palam dicere solita, populi hujus habendam esse rationem, cum ipse Religionem non heri, neque nudius tertius, verum per tot jam secula a majoribus traditam colat. His verbis summa humanitatis significatione prolatis persuasi Angronii, cum Trinitensis ad eos venisset, & solemne sacrum, cui cum suis interfuit, in Laurentii oppido celebrari jussisset, illi conditionem accipiunt, & supplicem libellum ad Principem conscribunt, cujus hæc summa erat: „quosdam e nostro numero misimus, qui promptissimam tibi, & tam demissam, quæ subditos decet, obedientiam deferrent, & pro nobis, qui deploratissima necessitate, & quasi desperatione adacti arma sumpsimus, eorumque occasione tuam offensionem concitavimus, veniam exorarent: de cetero vim conscientis nostris inferri deprecamur, rogamusque, ut nullis Romanæ Ecclesiae traditionibus nos obstringi cogamur, ac te benigne annuente nobis liceat Religionem a Patribus acceptam

Sæcul. XIV.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI. „ceptam, ac conscientiarum liberta-
 A.C. 1561. „tem fervare.

§. LXIX.

Comitis asperitas in Valdenses.

Thuan. l. c. **C**um de hac concordia ageretur, Co-
 mitis milites damni nuper accepti
 memores in Talliaretinos inopino im-
 petum fecerunt, ac deprædatione per
 triduum continuata illatam vindicabant
 injuriam: inde vero a Talliaretinis ad
 Villarienses contendebant, quos mi-
 fere habitos, eorum potiffimos secum
 captivos abduxerunt. Verum Triniten-
 sis Comes pactorum fidem hac ratione
 violatam indignatus militum suorum
 rabiem compescuit, ac rursus de pace
 agere cœpit, postulans ab hisce populis,
 ut viginti aureorum millia penderent;
 cum vero hanc summam numerare ab
 inopia prohiberentur, ad octo millia
 reducebatur, quamvis hæc summa ad-
 huc immodica esset erga populos, qui
 ferme nihil possidentes insuper bello
 exhausti erant, nihilominus, ut pacem
 sub aliis conditionibus sibi denegatam
 redimerent, has pecunias magno fœ-
 nore a Mercatoribus mutuas accepe-
 runt, vaccis quoque suis, aut venditis,
 aut oppignoratis. Persolutis his pec-
 cuniis Trinitensis Comes nondum mi-
 lites suos revocavit, sed prius incola-
 rum

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

rum arma ad arcem deferri iussit, eosque, ut ad æqualis summæ solutionem sese obstringerent, adegit, necnon Ministros ejici petiit declarans, se ab eorum finibus non excessurum, nisi adimpleta prius hac conditione, quæ quamvis civibus admodum dura videretur, sese tamen illi subjicere cogebantur: nec tamen propterea impetrabant tranquillitatem, quam sibi tot modis coemere nitebantur; quippe militibus, perinde ac si conditiones integra fide adimpletas fuisse dubitandi locus superesset, passim per privatorum ædes scrutandi data est libertas, unde cum omnia referari juberent, novam prædandi opportunitatem captabant. Nec mitius habebantur Angronii; pene enim exustum fuit eorum oppidum, ædesque sua suppellectili spoliatae, ac tandem post commissa plura ejusmodi flagitia exercitus aliorum deducitur. Hæ crudelitates, cum Deputati ad Principem, qui Vercellis agebat, proficiscentur, erant perpetratae, quo tempore hi, cum quadraginta dies ex condito detinerentur, fidem dare cogebantur, quod Missæ Sacrificium rursus celebrari permittere vellent, acceptata autem hac conditione gratiam a Principe obtinerent: insuper veniam a

H 4

sum-

Sæcul. XVI. summi Pontificis Nuntio petere jube-
A. C. 1561. bantur, licet id ab initio recusarent.

§. LXX.

*Fœdus inter Valdenses Galliarum
 Regi subiectos, & alios Sab-
 audicæ Duci obnoxios.*

Interea Lusernenses compertis hisce
 pactis non minus dolore, quam in-
 dignatione incitati ad omnes ditionis
 Gallicæ Convallenses perscribunt, opem
 efflagitantes, ubi re in deliberationem
 vocata mox fœdus initur his conditio-
 nibus. I. Doctrinam, quam quasi Dei
 verbo congruentem profitebantur, con-
 stanter retineant. II. Suis Principi-
 bus obedientiam, ac fidem juxta Dei
 præceptum fervent. III. Nulli ex Val-
 densium populo quicquam in Religionis
 negotio polliceri, transigere, aut pa-
 cifici in posterum citra univerforum con-
 sensum, & auctoritatem liceat. cum
 igitur suas vires unitas cernerent, multi-
 tudine audaciores facti altaria evertunt,
 sacrasque imagines in Bobiacensi Tem-
 plo conculcant, inde vero continuata
 rabie Villariam contendunt, iisdemque
 sacrilegiis sese contaminant, quinimo
 condiciones, de quibus eorum Depu-
 tati cum Principe pacifcebantur, ac-
 ceptare recusant, Turrensensem quoque
 Præ-

Præfectum, qui illorum petulantiam fracturus accurrerat, cædunt, fugantque: unde Comes Trinitensis, qui Sancti Joannis oppidum præsidio firmaverat, cum die septima Februarii copias suas Angroniæ admovisset, primus receptui canere coactus est, desideratis suorum potissimis: illi vero, quos rursus collegerat, Rosatum occuparunt, eoque incenso Valdenses, quot inclusos repererant, ferro, flammaque nullo discrimine facto deleverunt.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

§. LXXI.

Bellum ancipiti Marte a Trinitensi Comite innovatum.

Inde Trinitensis Comes per tres vias ad Lusernensem vallem descendit, incensisque cunctis ædibus, illos, qui in eis reperiebantur, crudeliter trucidari jubet, & paulo post omnibus viribus Torni-pratum invadere aggreditur, iniquo tamen successu; quippe ejus milites non sine dispendio repulsi ad unum omnes cæsi fuissent, nisi insequentes falsus revocasset rumor, quod urbs altera ex parte oppugnaretur; postquam vero Lusernenses Angroniis suppetias venerant, redintegratum est prælium, ac rursus Comitæ Trinitensis copię in fugam actæ: quarto demum post die Valdenses, cum hac victoria animos

Thuan. l. c.

H 5

re-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561. resumpſiſſe viderentur, Comes, ut cladis injuriam ulciſceretur, rurfus trina ex parte impetum in urbem fecit, quippe cum quadam ſuorum cohorte per Roſatenſem agrum, cum altera vero per planitiem, & demum per Taliaretum cum tertia ſibi aditum in urbem parabat. Harum duæ priores ita ſuum inſtituebant iter, ut in planitie inter Villarium, & Bobiacum interjecta, ubi copioſus jamjam advenerat equitatus, ſeſe conjungerent, cum vero illinc in Cambani montis juga eniterentur, qua parte nullæ ferme erant cuſtodix, nihil inde territi incolæ ſtatim e munitio- nibus ſuis erumpunt, hoſtesque ſemel, atque iterum ſtrenue repellunt, quamvis Trinitenſis Comes quingentos ſubſidio ſubmiſiſſet: reſtituto autem certamine Valdenſes tandem retrocedere, ſuasque munitiones deſerere coacti ſunt.

§. LXXII.

Ducis Sabaudix copix a Valdenſibus proſtigatæ.

Thuan. l. c. **P**roſpero hoc ſucceſſu Comitum milites victoriarum curſum ſtrenue proſequebantur: attamen ipſo eventu tunc comprobatum fuit, quod quandoque devictis, atque ad extrema redactis animus, virtusque redire ſoleat; quippe Valdenſes deſperationis ſtimulo agitati

tati pugnam redintegrant, tam felici
successu, ut invasores suos repellerent:
unde Comes, cum ad nominis sui existi-
mationem pertinere arbitraretur, ne
Bellidux toties in aliis præliis victor,
nunc a rusticis devictus diceretur, præ-
cipue cum numero superior esset, hostes
suos omni ex parte aggredi, ac debel-
lare statuit: igitur die decima septima
Maij bipartito agmine suo in Angro-
niam vallem descendit a suis incolis de-
fertam, indeque Torni - pratum acce-
dit, illudque ab Oriente aggreditur:
verum Valdenses redintegratis animis
una omnes fortius, quam unquam, denuo
pugnam inchoant, tandemque post per-
tinax utrinque certamen hostem retro-
cedere compellunt, nonnisi duobus
suorum amissis, ex Trinitensibus vero
cæsis quam plurimis. Ceterum Val-
denses, quod nonnisi defendendi causa
bellum susceperint, tam studiose credi
gestiebant, ut nequidem ad continuan-
dum victoriæ cursum e suis vallibus
egrederentur. Porro Trinitensis Co-
mes sinistrum belli eventum indignatus
palam profitebatur, nunquam se mili-
tem magis ignavum esse expertum, quam
postremis istis cum rustica multitudine
congressibus: denique cum hosce rebel-
les coercere desperaret, illorum animos
explo-

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

Sæcul. XVI. explorari jussit, an non ad pacem inclinarent.
 A. C. 1561.

§. LXXIII.

Bellum redintegratum, & tandem de pace actum.

Thuan. l. c.

Cum interea de pace ageretur, Sabaudia Ducis exercitus pecuniis a Papa submissis restauratus denuo valles aggredi jubetur, expugnatoque Tailereto Trinitensis Comes Viros, ac mulieres unacum infantibus in cubiculis deprehensos ad interneccionem delavit: cum vero post acre certamen ejus copiae fuissent repulsæ, tantus pavor militem inceserat, ut Comes eadem adhuc die Cavortium recederet: quapropter in Principis Senatu decretum, ut Valdensium segetes, arbores, & vinea devastarentur, duæque arces in Angroniana valle construerentur. Hanc in rem Briguerates equitatum suum emisit, moxque ad Sancti Joannis oppidum contendit, cum vero hæc jussa exequi pararet, deferuntur literæ, quibus Princeps sua revocabat mandata, ad id permotus libello supplici, quem Valdenses Sabaudia Ducissæ, quæ illorum causæ favebat, per Ranconium Comitem porrexerunt, atque arma deponere promiserunt, dummodo haud ultra bello lacefferentur.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.*Pacis conditiones Valdensibus propo-
sita, eorumque responsum.*

Ceterum Sabaudia Princeps, cum *Thuan. l. c.*
 suas copias ubique cæfas, ex ad-
 verso autem pronam rebellium volun-
 tatem cerneret, potius habuit eos in
 gratiam recipere, quam suas ditio-
 nes ruinæ periculo exponere: quapropter
 illorum libellum benigne excipiens re-
 spondit, paratum se esse veniam illis
 impertiri, iis tamen conditionibus. I.
 Sacrificium ritu in Ecclesia Romana
 recepto apud se celebrari patiantur.
 II. Pastores suos expellant, nec concio-
 nes, coetusve more suo deinceps ha-
 beant. III. Captivos suos a militibus
 pretio exsoluto redimere teneantur. IV.
 Arces Principi, quot, & ubi voluerit,
 in his vallibus extruere liberum sit.
 Valdenses, quod ad pastores quidem
 spectabat, lubenter assentiebantur, ut,
 si qui suspecti essent Principi, dimitte-
 rentur, modo alii, antequam hi abi-
 rent, in eorum locum accerferentur,
 ne ipsorum Ecclesiæ pastoribus desti-
 tutæ lupis devorandæ exponerentur:
 sacrificii autem celebrationem minime
 recusabant, modo ne ipsi interesse, aut
 in eam rem sumptus suppeditare, neve
 quidquam, quo ei favere, aut assensum
 præ-

Sæcul. XVI.
A.C. 1561. præbere argui possent, facere cogeren-
tur. De cetero captivorum militum
suorum redemptionem supra vires suas
esse ostendebant, cum direptis bonis,
& incensis domibus nihil præter spi-
ritum, quo ad pacem anhelent, super-
esset, itaque petebant, ut sine pretio
liberarentur, & pariter illi, qui ob Re-
ligionis causam ad triremes damnati
essent, solverentur. Arcium item ex-
structionem deprecabantur, fidum ob-
sequium, quod hætenus semper præ-
stiterant, in posterum polliciti, orabant-
que, ut Princeps, cum arces aliunde
situ, ac natura satis munitæ essent, po-
tius ipsos in gratiam receptos arcium,
& mœnium loco haberet.

§. LXXV.

*Pax, ac conscientiae libertas Valden-
sibus pacta.*

Thuan.

Hæc pacis compositio die quinta Ju-
nii Anno Domini millesimo quin-
gentesimo sexagesimo primo Cavortii
firmata fuit, adjectis hisce conditioni-
bus. I. Omnium præteritorum oblivio
fanciatur, eorumque omnium, quæ eo
bello gesta erant, Princeps clementia
sua Convallensibus subditis suis gratiam
faciat. II. Conscientiarum libertatem
Valdensibus permittat, atque indul-
geat, ut conciones locis designatis, &
inter

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

inter præscriptos limites, quos transgredi fas non erit, habeant, ac coetus celebrent, extra quos nihilominus pastores ægrotos invisere, ac consolari, aliaque Religionis suæ munia obire, non autem concionari possent. III. Iis, si forte de doctrina interrogarentur, absque bonorum, & capitis pœna liberum sit respondere, universis præterea, qui propter Religionem domo absunt, nihil obstantibus promissis quibuscunque, aut abjurazione, quam a sua Religione alienam ante hoc bellum præstiterunt, lares repetere, & Religionem a majoribus traditam amplecti, concionibus, ac coetibus interesse modo, & locis permissis liceat. IV. Proscripti ob Religionem, aut belli nuper ob Religionem suscepti causam bonis restituantur. V. iis jus sit pecudes, ac supellectilem reliquam a vicinis, exceptis militibus, legum subsidio repetere, & ea quæ divendita comperientur, eadem via, sed restituto pretio redimere; quod idem vicinis in eos populis concedatur. VI. Libertatibus, immunitatibus & privilegiis de quorum tamen legitima concessione a Majoribus accepta, rectoque eorum usu fidem facere tenebuntur, in posterum fruantur. VII. A Principe Magistratus universis suæ ditionis Convallensibus præficiatur, qui jus inter eos dicat.

Ceteri

Sæcul. XVI. Ceteri articuli erant sequentes. I. A.C. 1561. Valdenses eorum nomina, qui ob Religionem exulavere, describere, & Magistratibus tradere teneantur. II. In Villariæ arcis constructionem sumptus facere non compellantur, nisi forte ipsis ultro, ac sponte operas Principi præbere visum fuerit. III. Præfectus, qui arci Villariensi imponetur, ita Principi inserviat, ut vicinorum bonis, ac conscientiiis nihil molestiæ afferat. IV. In pastorum, quos Principi dimittere placuerit, locum alios accersere Convallensibus liberum sit, a qua tamen gratia Martinus Pragellatensium pastor exclusus intelligatur. V. Ubicunque conciones, ac cœtus habere liberum erit, iisdem in locis Sacrificium celebrare, ac ceteros Romanæ Ecclesiæ ritus servare liceat, & ipsi Convallenses caveant, ne illi, qui eo conventuri sunt, ulla contumelia, aut damno afficiantur. VI. Vicissim ipsi Sacrificio interesse, aut quidquam facere, quo ei favere dici possent, non cogantur. VII. Impensarum omnium in hoc bellum factarum a Principe gratia eis fiat. VIII. illa etiam octo millia aureorum, quæ se exsolutores promittere a Trinitensi coacti sunt, remittantur, & earum obligationum instrumenta irrita, ac rescissa censeantur. IX. Captivi soluto æquo, ac pro
facul-

facultatibus pretio dimittantur. X. Qui ^{Sæcul. XVI.} item ob Religionis causam triremibus ^{A.C. 1561.} constricti tenentur, horum pactorum beneficio solvantur. His Cauortii die quinta Junii actis subscripsere Philibertus Sabaudus Ranconii comes Principis nomine: pro Convallensibus vero Franciscus Valla Villarii, & Claudius Bergius Talliaretii pastores, necnon Georgius Monasterius, & Michael Raimondetus.

His ita compositis Sabaudix Dux voluit, ut deinceps Valdenses sub suo regimine contineret Castrocarus, egregius Bellidux, qui cujusdam Etruriæ arcis Gubernator Religionis causa ad eos defecerat, eosque militiæ peritia imbuens in postremis hisce seditionis tumultibus eorum ductor fuerat. (*) Hæc pacta

(*) Sequentia nec in Thuano, nec alio Scriptore leguntur, a sola Continuatore addita, ut Lectori suo opinionem ingereret, perinde ac si Pontifices neglecta lenitatis via unice hæreticos ferro, flammaque extingui cuperent, atque ad id Principes Laicos sollicitarent, prout in relatione hujus Historiæ Continuator sæpius insinuabat, quod Thuanum legenti, ac cum ejus verbis conferenti adeo manifestum fiet, ut Lector de horum Valdensium ausu longe aliam concepturus sit opinionem.

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

I

Sæc. XVI.
A. C. 1561.

paeta summus Pontifex non sine summo dolore intellexerat, amare coram Cardinalibus in pleno Senatu questus; postquam vero compererat, quod Sabaudia Dux nec alia ratione sese a coepto bello expedire, nec eventus sibi sat funestos declinare potuerit, animo placatus nequidem verbo Sabaudum redarguebat.

§. LXXVI.

Calvinistæ in Neapolis Regno castigati, ac dispersi.

*Spond. hoc
ann. n. 31.
Bezain Icon.*

Magis prospera Hispanæ expeditioni arrisit fortuna contra Calvinistas, qui in Neapolis regno sese magno numero diffundebant; cum enim Hispani comperissent, quod eorum duo, aut ferme tria millia in Monte Alto prope Cosentiam in Calabria suæ Sectæ cœtus, ductoribus binis Ministris Geneva submissis, agerent, mox Prorex admotis copiis suis illos cingi, ac comprehendendi præcepit, data venia illis, qui Calvini hæresin ejurare parati erant, aliis aut aqua submersis, aut laqueo suffocatis, vel ad triremes damnatis: ex eorum autem Ministris solum unus nomine Paschalis rogi supplicio destinabatur, qui etiam aliquo post tempore Romæ vivus comburebatur.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

*Hispaniæ Rex per Bullam Synodi
continuationem declarari
postulans.*

Interea summus Pontifex convocandæ *Spond. l. 6.*
Synodo semper intentus, jamjam *num. 6.*
tempus appropinquare cernebat, ve-
rum Regum, ac Principum dissidiis in
gravi hoc negotio exortis retardabatur,
ac præprimis quidem Philippus II. Hi-
spaniæ Rex indictæ Synodi Bullam re-
cipere, ac promulgare recusabat, caus-
fatus, quod illa esset obscura, unde per-
spicuis, ac minime ambiguis verbis
declarari petiit, quod nequaquam nova
celebraretur Synodus, sed duntaxat
Tridentina continuaretur, ac proin de-
creta sub Paulo III. & Julio III. jamjam
promulgata tanquam valida confirma-
rentur.

§. LXXVIII.

*Navarræ Rex a Papa in gratiam
receptus.*

Philippus II. hac cavillatione quære- *Pallav. l. 15.*
bat obtentum suam exerendi indi- *c. l. n. i.*
gnationem, quam contra Pium IV. fo-
vebat, eoquod hic excepisset Petrum
Albretum Convenensem Episcopum,
qui de Navarræ regno obedientiæ ho-
magium præstiturus advenerat nomine

Sæcul. XVI. Antonii Borbonii, & Joannæ Albretæ
A.C. 1561. conjugis suæ, qui ambo Romam ac-
 cedere verebantur, ne de favore hæ-
 reticis præstito suspecti anathematis
 pœna percellerentur, suoque in Regnum
 jure privarentur: attamen summus Pon-
 tifex hoc obsequium summopere gra-
 tum habebat, spe fretus, quod lenitate
 erga Navarræ Regem usus, ejusdem-
 que petitis annuens ad Concilium non
 reluctantibus Gallis celebrandum viam
 magis expeditam sibi sternere posset:
 hanc quoque agendi rationem Philippo
 Hispaniæ Regi minus gratam fore, aut
 non curabat, aut saltem ejus indigna-
 tionem sibi nocumentum illaturam non
 existimabat. Equidem Philippus Rex
 insuper se offensum exhibebat, eo quod
 Pius IV. humaniter excepisset Franci-
 scum Escarsium, quem Antonius Bor-
 bonius supplicatum miserat, ut Ponti-
 fex Navarræ regnum, quod Ferdinandus
 Catholicus usurpaverat, eidem red-
 deret: Verum cunctæ hæ rationes, cum
 non nisi Regis personam respicerent, haud
 quaquam Philippum II. impedire de-
 buissent, quin pro viribus suis ad boni
 publici incrementum operam suam con-
 ferret: quapropter Pius IV. haud im-
 merito sperabat, quod sedato indigna-
 tionis impetu tandem & Philippus Sy-
 nodi continuationem promoturus esset.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Variae Pii IV. Pontificis constitutiones.

Interea summus Pontifex, ut eo certius Episcopus, qui Synodo interesse possent, ad eandem alliceret, die prima Martii Bullam edidit, qua plura concessit privilegia omnibus Episcopis, atque Prælati, qui Concilio interessent. Præterea Mense Septembri Sodalitatem, quam unacum Nosocomio sub invocatione B. Mariæ de Pietate nuper in Urbe Romana pii quidam homines ad egenos dementes benigne recipiendos erexerant, approbabat, eisque quasdam indulgentias concedebat. Denique promulgata alia Constitutione Judices, ac Judicia Auditorum Rotæ emendabat; insuper celebriora urbis monumenta ornari, antiquas plateas reparari, novas vero lapidibus sterni, atque aquas ex pluribus remotis fontibus ad urbem non sine ingentibus expensis deduci curabat, inde tanta urbi magnificentia, ac commoditas accrescebat, ut quidam Poeta Italus duobus hisce versibus eleganter caneret:

Marmoream me fecit, eram cum terrea, Cæsar,
Aurea sub QUARTO sum modo facta PIO.

Post hæc Papa Romam quoque novis muris, Ostiam, Anconam, & Civi-

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

Bullar.
Tom. II.
Pii IV.
Const. 28.
37. & 44.

Sæcul. XVI
A. C. 1561.

Civitatem veterem, seu Centumcellas portubus, Ravennam vero validis propugnaculis, & aggeribus munivit, necnon Capitolii Palatium, Prætorium urbis Conservatorum, titulos, & Diaconias Cardinalium, omnesque alias Ecclesias ruinæ proximas reparavit: Typographiam quoque in Vaticano stabilivit, ut emendatius Patrum opera divulgari possent: porro hujus laboris curam, ac regimen Paulo Manutio Aldæ Filio, Viro apprime docto commisit: tandem nihil eorum prætermisit, quæ ad majorem Palatii Apostolici magnificentiam conferre possent, cui etiam plura nova adjecit cubicula, hortosque innumeris pene ornamentis locupletavit.

§. LXXX.

De refecandis expensis coram Galliarum Rege actum.

Thuan. n. 7. Inter cuncta hæc negotia magis adhuc distentum tenebant Pontificis animum tumultus, ac civilia bella, quæ in Galliis ob Religionis dissidia agitabantur: ineunte enim hoc anno in Regis Senatu, ut populus immodicis vectigalibus, ac tributis oppressus levaretur, de sumptibus minuendis actum, decretumque fuit, ut nobiles Cubicularii, & alii familiæ Regiæ domestici dimidia

dia stipendiorum parte contenti essent, pensionum etiam tertia parte detracta, exceptis iis, quæ externis hominibus tam in Regno, quam extra Regnum quasi pro alimentis ex Regum liberalitate persolvebantur: unde occasione oblata Navarræ Regi libellus porrigebatur, in quo sigillatim plura petebantur, quæ ad id collimabant, ut Italis, quorum artes, atque avaritia cunctis rerum gnaris, ac futuri providis suspectæ erant, non modo cujuscunque generis pensiones auferrentur, sed etiam tanquam exteri juxta Regni leges a dignitatibus, atque officiis excluderentur, necnon amplis, quæ in Galliis possidebant, beneficiis privati, tandem e Regno excedere cogerentur. Attamen Navarræ Rex veritus, ne id Regina tanquam in contumeliam suam factum interpretaretur, libellum in consilio recitari noluit, ut tamen insigni aliquo exemplo minuendis sumptibus initium faceret, auctor fuit, ut turmæ equitum Scotorum dimitterentur: porro id eo facilius obtentum fuit, cum illi tam Belliduces, quam milites gregarii magnam partem Protestantium sectæ addicti essent, ac præcipue eorum Præfectus Jacobus Hamiltonius Araniæ Comes, nuper ob Religionis causam tam male a Guisianis Principibus multatus fuisset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

Sæcul. XVI
A. C. 1561.

§. LXXXI.

*Condæi Principis innocentia a Rege,
& Senatu vindicata.*

*Thuan. l. 27.
Mezeray
abreg. chron.
Tom. V.
p. 58.*

His ita peractis Galliarum Rex die quinta Februarii Aurelia discessit Fontem bellaqueum petiturus, quo mox Condæus Princeps, qui Faram ad Esiam concefferat, venire iussus est: is igitur veredariis equis ad Aulam contendit, ubi Regem, ac Reginam Matrem officiose salutans perhonorifice excipiebatur: altera vero die cum in secretiorem Senatum admitteretur, a Proceribus, qui aderant, unanimi suffragio pronuntiatum, quod abunde de ejus innocentia constaret: eapropter Condæus mox pristinum locum suæ dignitati debitum occupabat. Sub idem quoque tempus Rex publice declarabat, sibi de Condæi Principis innocentia certissimis testimoniis constare, & permitti eidem, ut apud Senatum Parisiensem, qui vulgo Parium curia vocatur, ampliorem suæ innocentiae approbationem prosequatur.

Hæc gesta fuere decima tertia Martii, paulo post autem Condæus Princeps Lutetiam rediit, ut præsentia sua hujus decreti promulgationem in Senatu urgeret: subortæ interea inter Regentem, ac Navarrum dissensiones aulam miscuere, cum ille se a Regente sperni dice-

diceret, ac Lotharingios, quos rebus suis infestos semper expertus sit sub Henrico II. & Francisco II. Regibus, sibi contumeliose præferri palam quereretur: insuper Navarrus Regii cubiculi claves, quæ antea Guisio Duci consignabantur, deinceps quotidie sibi tradi, importune a Rege petebat, ceterum harum clavium custodia propria est Regii Palatii Magistro, quo munere auctus fuerat Guisius, postquam Montmorentius Connestabilis hac dignitate fuit exutus, eo obtentu, quod ea cum Connestabilis officio consistere haud possit.

§. LXXXII.

Diffidia inter Reginam Matrem, & Navarræ Regem.

In eodem confessu Navarræ Rex hæc exposuit: „Omnes injurias mihi illatas hæctenus publicæ tranquillitati postposui, sed nihil aliud ea dissimulatione profeci, quam ut inimici eo audaciores redditi petulantia non ferenda mihi insultarent, & patientia mea adeo indigne abuterentur, ut jam minime mihi integrum sit, si Guisii Principes eundem dignitatis, ac gratiæ locum in aula retineant, in ea remanere: proinde firma mihi sententia stat, nisi illi ad officium revocentur, ac insuper omni vespere Regii

I 5.

cubi-

Sæcul. XV.
A. C. 1561.

Sæcul. XVI. „cubiculi claves ad me deferantur, au-
A. C. 1561. „lam quantocius deferere.

Ad hæc respondit Regina, „mihi
 „præcipuum studium semper fuit, &
 „nunc est, ut tibi in rebus omnibus
 „gratificetur, cœterum non video, cur
 „propterea Lotharingios, quorum pro-
 „pria, ac necessaria in aula munia sunt,
 „a Rege removeere debeam: immo præ-
 „video, futurum, ut uno concesso ho-
 „die, alterum cras petatur, & hoc im-
 „petrato rursus aliud, neque querela-
 „rum modus unquam futurus sit, ut
 „tamen in re egregiam meam erga te
 „voluntatem comprobem, & omnem de
 „palatii custodia querendi occasionem
 „præcidam, curabo, ut quotidie cla-
 „ves a Regii stipatus Præfectis in cubi-
 „culum tuum deferantur, licet id pro-
 „prium Magistri Palatii munus sit, quam
 „dignitatem nunc obtinet Guisus Dux
 & ita in usu fuit, cum Montmorantius
 Connestabilis eadem dignitate in aula
 fungeretur.

Verum Navarræ Rex hanc Reginæ
 responsionem indignatus reposuit, quod
 hospitii Regii claves ad Connestabilem
 Montmorantium non tanquam Palatii
 Magistrum, sed tanquam summum e-
 quitum Præfectum, penes quem Regni
 legibus jus armorum est, delatæ fue-
 rint: dato hoc responso, eo usque iris
 exarse-

exarsere, ut postridie Navarrus Rex præmissis Melodunum impedimentis se ad discessionem ex aula compararet: quinimo re ipsa etiam aula unacum omnibus Regii sanguinis Principibus, ac Connestabili Montmorentio excessisset, nisi Regina Mater rem edocta Regem filium rogasset, ut Connestabilem per Cardinalem Turnonium adesse juberet, ac prohiberet, ne a Rege unquam discederet: cum ergo hac ratione Navarræ Rex Connestabili discessum persuadendi copia destitueretur, hinc eidem mutandi consilii, ac sese demum cum Regina conciliandi injecta est necessitas: vicissim vero illa pollicebatur, quod Navarrus deinceps per universas Regiæ ditionis Provincias Prorex diceretur, nihilque Regina sine ipsius consilio ageret. Eodem tempore Francisco Montmorantio peninsulæ Franciæ Præsidi datum est negotium, ut curaret, moderatos, & idoneos Viros celebrandis præfecturæ Parisiensis conventibus adhiberi, ut hi id, quod alii circa Regni administrationem temeritate sua peccaverant, consilio, ac prudentia sua emendarent. Id quoque ea solertia ab eo factum, ut neutiquam, dum Regiæ morem gerebat, propterea in Navarri suspicionem incurreret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

Sæcul. XVI.

A. C. 1561.

§. LXXXIII.

Navarræ Regis colloquium cum Poloniae Rege.

*Thuan. l. c.
Mem. de la
Place ou
comment. de
Statu Religionis.*

Sub idem tempus venere a Regibus, & aliis Principibus legati, qui ufatis inter Principes officiis defuncti, post deploratam Francisci II. mortem Carolo delatam Regni successionem gratularentur. In iis fuit Georgius Gluckus Poloniae Regis Orator, qui multoties in Galliam missus, ac ibi commoratus fuerat: huic ergo ad prandium vocato Navarrus Rex ab Uxore ad id inductus spem fecerat, fore, ut, antequam annus exiret, purior Dei cultus toto Regno celebraretur: quibus dictis Rex illum rogabat, ut id Regi Domino suo significaret. Orator post actas Deo gratias laudato Navarri consilio vicissim efflagitabat, ut diligenter caveret, ne Joannis Calvinii doctrinam, quam Helvetii sequuntur, reciperet, sed Augustanam confessionem a Martini Lutheri doctrina traditam introduceret, cum eo nomine non parvam cum Daniae, ac Sueciae Regibus, & reliquis Germaniae Protestantibus gratiam initurus esset, quorum ditiones non minori terrarum spatio constringuntur, quam illae Provinciae, quae summi Pontificis obsequio addictae sunt: ad hæc Navarræ
Rex

Rex respondit: „Lutherus, & Calvinus
 „in quadraginta fidei articulis a Ponti-
 „fice dissentiunt, in triginta autem &
 „octo inter se conveniunt, & duo tantum
 „dogmata supersunt, quæ inter ipsos ad-
 „huc controversa sunt: ego autem censeo,
 „jungendas utriusque partis opes, ac
 „copias ad communem hostem oppri-
 „mendum, quo debellato in duobus il-
 „lis articulis conciliandis & in Ecclesia
 „Dei pristinæ puritati, ac splendori re-
 „stituenda minus negotii erit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

§. LXXXIV.

*Reginæ studium in Connestabili ad
 suas partes pertrahendo.*

Attamen Regina sua agendi ratione Pro-
 testantium quoque causæ favere cre-
 debatur, quinimo hanc de se opinionem
 haberi haud ægre ferebat: ut vero Con-
 nestabilem Montmorantium ad suas par-
 tes sensim perduceret, eidem consilii sui
 rationes aperit, hæc effata: „cedo ad
 „præsens Protestantium desideriis, ut
 „Navarræ Regis, qui illud, quod hodie
 „probat, cras improbaturus est, conatus
 „cedendo frangam: ceterum aulæ Pri-
 „morum, atque tuæ imprimis, qui pri-
 „mario Regni Magistratu fungeris, par-
 „tes sunt, ut palam ei adversari, & Ma-
 „jorum Religionem violari passim cla-
 „mita-

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

„mitare incipiatis. „ Id eo consilio faciebat Catharina, ut æmulo negotium per alios facefferet, & ita Regni Proceres ab ipso redderet alienos. Ab eo tempore jam non occulte Antonius Momorantius murmurabat, quod prisca Religio sperneretur, ac novis sacris, novisque ritibus introductis absque ulla vocatione homines haud cogniti se divino ministerio immisceant, necnon carnes propalam diebus vetitis, atque ipso quadragesimalis jejunii tempore profarent: insuper querebatur, quod hæc ad prisca, & hætenus recepti cultus contemptum fierent, cum jam in ædibus privatis ab initio, mox & intra Palatium in Condæi Principis, & Colini maris præfecti conclavibus publicæ conciones haberentur.

His Regina, ut Connestabili ea, quæ ejus spem magis lactabant, proponeret, adjecit, quod in illam, cui ipse adhærebit, partem ipsius opera etiam fortuna sese inclinatura sit, præcipue cum tunc, si præteritorum immemor sincero animo Guisii Principibus sese unierit, Religio Catholica in Galliis conservaretur: si vero a Castillonæis Nepotibus suis sese regi sineret, brevi ibidem Dei cultus haud alius erit, quam Genevensis. Hæc verba tandem efficiebant, ut Momorantius apertis tandem oculis cognosce-

gnosceret, quam infausto foedere se con-
 junxisset cum duobus præcipuis Regiæ
 stirpis Principibus, aliisque Proceribus,
 qui eisdem sanguine juncti jam jam spu-
 riæ doctrinæ erroribus infecti erant.

Sæcul. XVI.

A.C. 1561.

Equidem haud diffitendum, quod
 Montmorantius hac agendi ratione ter-
 renis suis commodis parum consuluerit,
 atque Montmorentii Marefcalli primo-
 geniti filii sui, qui præ ipso magis in-
 tentus erat rebus humanis, consiliis re-
 pugnaverit, nihilominus pro Religione
 Catholica, quam in Francia summo pe-
 riculo expositam cernebat, studium op-
 pido commendandum demonstrabat,
 quinimo, ut titulum Majorum suorum
 insignibus inscriptum, quo legebantur
 hæc verba: *Deus primum Christianum
 Baronem servet*: opere etiam adimpleret,
 non raro elata voce exclamasse dicitur:
Una fides, una lex, unus Rex: certissi-
 me enim sibi persuasum habebat, quod
 ex Religionis exterminio legum, Regum,
 ac denique etiam regnorum interitus
 necessario sequatur, hinc sine omni am-
 bage Filio suo respondit: „inter veram
 „fidem, & hæresin medium amplecti ne-
 „queo, quando agitur de caussa Dei,
 „& totius Gallici Regni salute, ac proin-
 „mei honoris, ac conscientia legibus
 „adstringor, tunc ea ago, quæ forte ter-
 „renæ prudentiæ ratio dissuadet.„ Er-

go

Sæcul. XVI.
A.C. 1561. go eodem momento opera Valentinæ Ducissæ in Guisii Ducis, & Albonis Santandreani Marescalli gratiam rediit, ac peropportune Magdalena Sabauda ejus conjux Protestantium sectæ oppido infensa Mariti sui odium in eos conceptum augebat, unde Protestantes arctam illam unionem, quæ inter Guisii Ducem, Connestabilem, & Marescallum Santandreanum erat restituta, nequiter Novum Triumviratum appellitabant.

§. LXXXV.

Carolus IX. Galliarum Rex Rhemis unctus.

Thuan. l. c.
La Popeliniere l. 6.
Davila l. 2.

Ceterum Regina, quæ ad firmandam suam auctoritatem Procerum dissidia fovebat, potenti hoc fœdere haud parum stupefacta assiduis torquebatur curis, summopere sollicita, ut tandem detegeret finem, ob quem inter Principes hucusque capitali inimicitia divisos tam subito conflata esset amicitia: ne vero quicquam eorum, vi quorum Regi, quocum ipsa summæ rerum præerat, veneratio, ac submissio accrescere potuisset, prætermisisse videretur, hinc eundem sacro oleo ungi curabat. Præfigebatur huic solemnitati dies Christo in cœlos ascendenti festiva, quæ illo anno in decimam quintam Maji inciderat: Igitur ex Aula Fonte-Bellaqueo discedit,

dit, Rex vero Montcellum voluptuarium Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
Reginæ Matris suæ diverforium con-
tendit, unde itinere per Nantolium fa-
cto, assumptoque secum Guisio Duce
Rhemos pervenit, ubi tamen de Fran-
ciæ Parium numero, & ordine, quo in-
cederent, controversia a Guisiis Princi-
pibus excitata fuit: objiciebatur enim
his, quod ipsi, quamvis ceteros regii
Sanguinis Principes gradu, ac digni-
tate æquare non possent, eorum tamen
auctoritati semper aliquod præjudicium
facerent, eaque sensim infracta suam
augerent, & captata aliquando occasione
fortunæ beneficio uterentur: nihilomi-
us datum est Guiho Duci, ut post Navarræ
Regem ante Montpenferium Ducem sede-
ret, cum eundem locum nuper sub Fran-
cisco II. Rege, & antea ejus Pater in
Henrici II. inauguratione occupasset:
verum Regina petiit, ut Alexander ejus
Filius, qui postea Franciæ Rex assum-
pto Henrici III. nomine salutabatur,
principem locum ante Navarræ Regem
teneret, quod tamen in Francisci II. in-
auguratione observatum non fuit. Ce-
terum Lotharingus Cardinalis tum Rhe-
menis Archiepiscopus suo munere in
Caroli IX. coronatione functus est, hæc-
que solemnitas comitia eodem Mense
Majo Pontiaræ indicta differendi ob-
tentum suppeditabat. §. LXXXVI.

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

K

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

§. LXXXVI.

Varii tumultus ob Religionem in diversis Provinciis excitati.

*Thu. l. 28.
Davila de
bello civil.
l. 2. p. 89. &
seq.*

Porro dissidentibus in Aula ob Religionem Primoribus per provincias ob eandem causam crebræ dissensiones exoriebantur, loquendi libertate impune permessa; unde dicteria, & factiosa ad contumeliam nomina Papistarum, ac Hugonottorum ab utraque parte usurpanti cœpta, & tumultus etiam passim concionatoribus plebem inflammantibus suborti sunt eo fine, ut Coliniorum, qui contra seditionem se publicam novæ doctrinæ promulgationem per provincias instituturos nimis audacter spondebant, conatus impedirentur: quinimo jamjam Ambiani, & ad Esixæ-pontem res ad seditionem devenit: Bellovaci vero Castellionæus Cardinalis, qui Admiralis Colonii frater, atque ejusdem civitatis Episcopus Religione Calvinista erat, ad suam Diœcesim Paschalia festa celebraturus secesserat, nec tamen in sua Ecclesia Cathedrali Paschatis Officium peragebat, sed in privato Palatii Sacratio cum omnibus hæreticis in urbe morantibus Cœnam Calvinistarum more sumebat: verum sparso ea de re per urbem rumore mox populus tam execrandi facinoris indignitate commo-

tus

tus velut furiis agitatus per plateas dis-
 currit, nec pauci in aliquorum domos
 involant, ipsumque Cardinalem in suo
 Palatio Episcopali cingunt, atque in vi-
 tæ discrimen adducunt: insuper sedi-
 tiosi inter alios quemdam Ludimagi-
 strum, qui pueros Calvinistarum ritu pri-
 ma Genevensis Catechismi elementa
 docebat, corripunt, ac sine ulteriori ju-
 dicii forma comburi jubent: postquam
 vero Episcopus per fenestras purpureo
 habitu insignis sese conspiciendum de-
 derat, eorum furor statim cessabat.

Sæcul. XVI.
 A.C 1561.

§. LXXXVII.

*Edictum occasione Bellovacensis sedi-
 tionis promulgatum.*

Quamprimum Rex de hoc tumultu
 certior fuerat factus, mox Francis-
 cum Montmorantium Francicæ Penin-
 sulæ Governatorem unacum regiis
 Præfecturæ Sylvanectensis Judicibus
 Bellovacum ablegabat, & postea quæ-
 stione in seditionis auctores habita non-
 nisi in duos est animadversum, cum ve-
 ro res prompto, ac præsentaneo reme-
 dio omnino egere videretur, hinc ad o-
 mnium Provinciarum Præfectos, nec-
 non ad supremas regni Curias diploma
 mittebatur, quo sancitum I. *Hugonotti*,
 & *Papistæ* vocabula contra Catholicos,
 & Calvinistas contumeliose non usur-
 pentur,

*Thuan. l. c.,
 Spond. ad
 hunc ann.
 n. 12.*

Sæcul. XVI. pentur, II. securitas, & honesta libertas, A.C. 1561. qua unusquisque frui debet, nullo modo violetur; III. nullus magno, vel exiguo stipatu domos alienas superiorum edictorum, quæ cœtus illicitos prohibent; prætextu ingrediatur. IV. Illi, qui Religionis causa, ante primum edictum pro illorum libertate conditum in carceres fuere conjecti, statim solvantur: V. qui ob eandem causam regno exceſerunt a Francisci I. tempore, iis revertendi, & plena bonorum, ac corporum libertate fruendi facultas sit, dummodo Catholice, & sine ullius offensione vivant. VI. Si vero id nollent, iisdem suas facultates distrahere, atque alio migrare, jus sit.

Hoc tamen diploma non fuit ad acta relatum; vetuit enim Senatus, ne illud Lutetiæ Parisiorum promulgaretur, simulque contra illud apud Regem reclamabat; eoquod contra morem non ad Senatum, sed ad supremos Provinciarum Gubernatores fuisset transmissum, atque eo Religionem, quam quisque vellet, amplectendi libertas concessa videretur, cum tamen a magni Clodovæi tempore semper in regno vera duntaxat religio fuisset admilla.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.*Rationes a Cardinale Lotharingio
contra hoc edictum propositæ.*

Cum solemnibus hujus diplomatis promulgatio fuisset prohibita, inde hæreticorum factio plurimum potentia augebatur, jamque frequentiores hæreticorum cœtus haberi cœperant, eapropter Cardinalis Lotharingus, dum Rex adhuc Durocortori Rhemorum esset, apud Reginam questus fuerat, quod res in pejus ruerent, cum plerique edictis regis, & libertate iis permessa ad licentiam abuterentur, & congressibus, ac cœtibus vetitis agri, vici, ac tandem urbes personarent, necnon ad conciones audiendas passim, ac turmatim concursus fieret, ubi etiam imperiti ad eas rei novitate accederent, eademque, qua illi coeunt, facilitate seducerentur: ex adverso querebatur Cardinalis, quod frigeat antiquarum ceremoniarum cultus, atque jam a multis irrideatur, ac quamplurimi a vera Religione quotidie deficient, & in protestantium numerum cooptentur, ac erroribus implicentur, aliis quoque edictis promulgatis nihil aliud efficientibus, quam ut incuria judicum alatur, & negligentia eorum excusatio quærat: itaque consultum dicebat, ut nihil, usque dum col-

Thuan. l. 28.

K 3 loquium

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

loquium ad sedandas de Religione diffensiones Regis jussu instituatur, in ejus causa innovetur, eaque de re lex faciatur ex Senatus consilio, religiose in posterum observanda. Ceterum colloquium illud a Cardinale memoratum, non erat aliud, quam Pisciacense quod Catholicos inter, & Protestantes eo fine habendum indicabatur, ut eos rursus uniendi media excogitarentur: illud vero a Regina propositum dicitur, ut novæ reformationis Sectatores sedaret, qui omne Concilium, cui sese submittere tenerentur, acceptare recusabant.

§. LXXXIX.

Aliud edictum præfente Rege in Senatu promulgatum.

Thuan. l. c.
Bezal. 4. hist.
Ecl. p. 468.
Comm. de statu Relig.

Post hæc Navarræ Rex, Connestabilis, Brisaccus, & Santandreas Marefcalli unacum Cardinale Lotharingio contra præfatum diploma queri cæperunt quapropter Regina pro foemina Calvinistarum erroribus infecta, ni illud revocaret, haberi verita Regem Filium suum ad Senatum conducere statuit, ut ibidem pro componendo hoc negotio utile arriperetur consilium: itaque Rex unacum Regina Matre sua, ceterisque regni Proceribus, ac Condæo Principe Senatum accedunt, ubi Hospitalius Cancellaria-

Sæcul. XVI.
A. C 1561.

cellarius Senatores præprimis monebat, ut in dicendis sententiis breviores essent, cum non de Religione ipsa, cujus caussa in nationali concilio prope diem agitanda foret, sed de remediis ageretur, quibus obviam iri possit tumultibus quotidie ob Religionem exorientibus, quibus fieret, ut publica quies conturbetur, & obsequium Majestati Regiæ debitum paullatim per licentiam evanescat. Ceterum in hoc confessu tres fuere omnino sententiæ, earumque prima petebat, ut a pœnis in Protestantes sancitis abstineretur, quousque res Concilii decreto decideretur: aliorum vero opinio eo tendebat, ut capitis supplicio, prout hucusque factum, deinceps animadverteretur in eos, qui suos errores ejurare recusarent. Tertia denique hujus rei cognitionem ad Ecclesiasticum forum remittebat, proposita capitis pœna in eos, qui congressus, aut conventus illicitos clam, aut publice cum armis, aut sine illis haberent, interdicta item concionandi, & Sacramenta administrandi libertate alio ritu, ac modo, quam qui in Romana Ecclesia observatur.

§. XC.

Jurisdictio Ecclesiastica edicto Juliano firmata.

K 4

Præ-

Sæcul. XVI. Prævaluit postrema hæc sententia, qua-
 A.C. 1561. propter celebre illud conditum est
 Tiu. Comm. edictum, quod Julianum a Mense Julio,
 & Beza l.c. in quo fuit editum, appellabatur, atque
 in eo innovabatur Remorontinum de-
 cretum, vi cuius Clero priscum de
 crimine hæresis cognoscendi, ac judi-
 candi jus reddebatur, & concessa præ-
 teritorum oblivione nonnisi exilii pœna
 in eos infligenda decernebatur: insuper
 in Juliano decreto sancitum, ut omnes
 pacate vivant, & ab injuriis abstineant,
 neque se conviciis invicem provocent,
 nec ulla conventicula, pacta, aut aliud
 quidquam, quod factionem, conspiratio-
 nem, aut quandam in partes disces-
 sionem redolet, in posterum fiat, neque
 concionatores verbis turbulentis, ac se-
 ditiosis ullo modo utantur, sed popu-
 lum prudenter, ac modeste instruant,
 qui vero secus fecissent, capitis pœna
 plectantur, ejusque rei cognitio sit pe-
 nes Provinciarum Præfectos, & Se-
 des, quas *præsidiales* vocant: insuper
 vetitum, ne quæ publice, seu privatim
 cum armis, aut sine armis conciones
 habeantur, aut Sacramenta admini-
 strentur alio, quam recepto in Ecclesia
 Catholica ritu: de cetero autem ad Ec-
 clesiasticum forum hæreseos cognitio
 remittatur, judicesque Ecclesiastici, si
 necesse fuerit, reum potestati profanæ
 tra-

tradant, seu ad iudices Regios remittant: hi autem gravio-^{Sæcul. XVI,} rem, quam exilii ^{A. C. 1561.} poenam non irrogent. Denique hæc statuta eousque locum habeant, donec Synodi universalis, aut nationalis decreto aliter statuatur. Gratia etiam eodem edicto iis, qui turbas in hunc usque diem ob Religionem moverant, facta, & abolita earum rerum memoria fuit, si modo catholice, ac pacate in posterum vivant: falsis item delatoribus graves poenæ constitutæ, & armis uti omnino interdictum est, exceptis iis, quibus edicto permittitur.

§. XCI.

Conventus in oppido S. Germani habitus.

Insuper proximo Mense Augusto Guisus Dux in Condæi Principis gratiam revertebatur, eodemque ferme tempore Comitiam Pontifara ad S. Germani oppidum in Laja fuere translata, ad quæ etiam Rex venerat, comitantibus illum Regina Matre sua, Margarita ejus Sorore, regis stirpis Principibus, pluribusque Cardinalibus. ^{Thu. l. 6.}

§. XCII.

Hospitalii Cancellarii oratio in hisce Ordinum comitiis.

K 5

Post-

Sæcul. XVI. **A.C. 1561.** **Thuan. l. c.** Postquam Rex hisce comitiis solemne initium fecerat, Hospitalius Cancellarius cunctos tum præsentis Regis nomine admonuit, ut libere de Republica sententias suas edicerent, cæptumque negotium eadem libertate prosequerentur: his præmissis pro more suo stylum acuit contra Episcopos, necnon adversus illos, qui novam sectam abolendam, ac penitus e regno eliminandam censebant; insuper omnes nervos intendit, ut persuaderet, revocandum esse edictum Julianum nuper conditum, eo usus obtentu, quod edicta temporis, ac personis, non autem personæ, & tempora edictis sint accommodanda.

§. XCIII.

Alius sermo Joannis Britanni pro plebe perorantis.

Thu. Spond. l. c. **Mezeray hist. de France to. 2. p. 820.** Postea pro plebejo ordine Joannes Britannus Augustodunensis Prætor verba faciens, Regi persuadere nitebatur, ut Clero tam sæculari, quam regulari omnia eorum bona eriperet, prout in Germania, & Anglia jam factum erat, quam in rem veteris, novique Testamenti textus pessime intellectos nequiter adducebat: demum acerba oratione in Clericos invectus agebat, „fœda ignorantia inter Sacerdotes grassatur, nec, „ut fieri debet, commissos sibi greges „docent,

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

„docent, neque suo exemplo ad puram,
 „integramque vitam præeunt, sed pro-
 „fligatis moribus populo offensionem
 „parant, & quasi conducti mercede ser-
 „vi omnia facere, nullaque re minus,
 „quam officio gaudere solent, dum se
 „totos voluptatibus mancipant, & ni-
 „mio otio, ac luxu licenter exultant;
 „hæc est, nec alia, malorum, quæ Re-
 „gnum hoc olim florentissimum affli-
 „ctant, caussa: proinde plebis nomine
 „peto, ut Rex, cujus proprium munus
 „est, Religionis patrocinium suscipere,
 „id sedulo agat, & pullulantem vitio-
 „rum luxuriam refecet, adempta omni
 „Sacerdotibus jurisdictione, quæ ipsis
 „minime convenit: verum iis opibus in
 „pios usus distributis Rex curet, ut natio-
 „nale Concilium, quod est unicum, & præ-
 „sentissimum his malis componendis re-
 „medium, legitime celebretur, eoque
 „libere accedentibus fide publica ca-
 „veatur: porro huic Concilio præsit Rex,
 „illiusve loco Regii sanguinis Princi-
 „pes: interim vero, donec de Religio-
 „nis controversiis decernitur, publice
 „conveniendi, & conciones audiendi
 „iis, qui religione præpediti Romanæ
 „Ecclesiæ cæremoniis interesse non pos-
 „sunt, facultas detur: quoniam autem
 „cœtus illiciti omnes prohibiti sunt, iis
 „Præfecti Regii, ac Ministri provincia-
 „rum

Sæcul. XVI. „rum inspectores adsint Regis jussu, &
 A.C. 1561. „videant, ne quid inde Rex, aut Respu-
 „blica detrimenti capiat. „ Postremo
 instituit querelam de juridicis Magistra-
 tibus, qui pecuniarum nundinationibus,
 & non meritis ad honores provehuntur;
 quapropter petiit, ut deinceps viri ab
 avaritia alieni, pietate, morum probi-
 tate, denique eruditione præditi præ-
 stantissimo huic muneri nullo pretio
 accepto a Rege præficiantur, atque eli-
 gantur ea norma, quæ in comitiis Au-
 relianensibus nuper Rege consentiente
 stabilita est.

§. XCIV.

Alia pro Clero oratio.

*Thuan. &
 Mezer. l. c.*

Orator, qui sacrum Clericorum Ordi-
 nem defendebat, modeste dilutis
 omnibus, quas Joannes Britannus petu-
 lantissime proferebat, acerbissimis calu-
 mniis petiit, ut Rex ad suorum Præ-
 decessorum exemplum, Ordinis Eccle-
 siastici jura, privilegia, & dignitatem
 tueri vellet, nec eorum, qui manus suas
 in Sanctuarium sacrilege extendere
 præsumunt, consilia sequeretur: cum
 autem multa, quæ in sacri Ordinis de-
 trimentum cedebant, fuissent proposita,
 inter quæ haud infimum erat illud, vi
 cujus ex beneficiis, si quingentas redi-
 tuum libras haberent, quarta pars, si
 vero

vero mille libras æquarent, tertia, si denique mille aureos excederent, media pars ærario Regis applicaretur, atque illis, qui ex suis beneficiis duodecim librarum millia pro annuis redditibus percipiunt, nonnisi tria millia ceteris omnibus Regi attributis relinquerentur, quinimo etiam Cartusianis, Cœlestinis, Mathurinis, Minimis, cunctisque Monachis (*) omnes redditus, qui ipsorum alimenti necessitatem superant, adimerentur: ac præterea omnia prædialia, exceptis præcipuis castellis, & ædibus, in quibus Episcopus, & Canonici sua domicilia habent, venundarentur: hinc Clerus, ut funestos tantæ rapacitatis successus præverteret, Regi ultro quatuor decimas quotannis in sexennium obtulit, ac declaravit, quod Ordo Ecclesiasticus non minus, quam ceteri Regni Ordines ad sublevandas Regni necessitates, atque ad solvendum, quod Senatus regius contraxit, æs alienum opes suas conferre paratus sit.

§. XCV.

Reginæ epistola ad Papam circa Pisciacense colloquium.

Cum Regina fuisset interim edocta, quod summus Pontifex Pisciacensis,

Thuan. l. c.
Sarpus hist.
Conc. Trid.
seu
l. 5. p. 433.

(*) Thuanus l. c. habet: *Monialibus.*

Sæcul. XVI. seu Poiffiacensis colloquii celebrationem
A.C. 1561. pro quarta Septembris die indictam æ-
 gerrime ferret, hinc ex Joannis Mont-
 lucii Valentiarum Episcopi suafu proli-
 xas ad eundem dedit literas, quibus ta-
 men Papæ metum potius augebat,
 quam dissipabat. Data est ejus episto-
 la Mense Augusto, cujus tenor est se-
 quens: „Multitudo est tanta illorum, qui
 „se ab Ecclesia Romana separaverunt, ut
 „jam severissimis legibus, ac ferro coer-
 „ceri non possint: insuper ea auctoritas
 „complurium ex nobilitate, & præci-
 „pui Magistratibus est, ut multos ex-
 „emplo ad suas partes trahant: ea de-
 „num illorum est concordia, ut vires,
 „& incrementa toti Regno formidanda
 „indies accipiant: neque tamen inter
 „eos raro Dei beneficio ulli Anabapti-
 „stæ, Libertini, & hujusmodi horren-
 „darum opinionum sectatores reperiun-
 „tur, nec inter eos dantur ulli, qui duo-
 „decim Symboli Apostolici articulis, il-
 „lorumve interpretationi per septem
 „Oecumenica Concilia factæ contradi-
 „cunt: proinde plerisque unionis ca-
 „tholicæ studiosis consultum videtur,
 „ut illi licet diversa in aliis articulis sen-
 „tientes ad communionem Ecclesiæ
 „admittantur, cum id citra periculum
 „fieri posset, eaque optima ratio esset ad
 „faciendam Ecclesiæ latinæ ac Græcæ
 „con-

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

„concordiam, nec desperant viri pii,
 „quin sedatis ita contentionibus, Deus,
 „qui suis semper præsto est, veritatis
 „genuinam lucem, discussis tenebris,
 „tandem aliquando restituat: quod si
 „minus probetur, & Generalis Concilii
 „auxilium expectandum sit, interea,
 „quando necessitas urget, & in mora
 „periculum est, particularia remedia ex-
 „pediri debent, quibus & illi, qui jam
 „se ab unione diviserunt, revocentur, &
 „ii, qui in unione remanserunt, ab ea
 „non alienentur, nam ad primos qui-
 „dem conciliandos conducent crebræ
 „admonitiones, & frequentiora Docto-
 „rum, ac pacis studiosorum ex utraque
 „parte virorum pacata colloquia, nec
 „minus ad id proderit Episcoporum,
 „ac ceterorum Ministrorum in Verbi
 „Dominici prædicatione diligentia, qui
 „populos ad charitatem, ac mutuam pa-
 „cem incitent, moneantque, ut acerbio-
 „ribus utrinque appellationibus, & in-
 „juriosis contentionibus abstineatur:
 „porro pro illis, qui in unione remanse-
 „runt, sed scrupulis quibusdam tenen-
 „tur, sat opportunum erit, si offensionum
 „caussæ eis tollantur, ne ob eas tan-
 „dem se alienent a vera Ecclesia, hinc
 „consultum censeo, ut imaginum ante
 „omnia usus a Deo vetitus, & a B. Gre-
 „gorio improbatus tollatur, atque etiam
 „in

Sæcul. XVI. „in Baptismo exorcismi, & certæ pre-
 A.C. 1561. „cum formulæ, quæ extra ejus institu-
 „tionem sunt, omittantur, ac suffi-
 „ciat, ut aqua, & verbum tantum juxta
 „Dei præscriptum adhibeantur; insu-
 „per sacræ communionis usus integer,
 „sub utraque scilicet specie sine perso-
 „narum distinctione restituatur, nec Con-
 „stantiensis Concilii, quod Dei manda-
 „to præponderare minime debet, au-
 „thoritas, quo minus id fiat, obsit: præ-
 „terea probi homines exoptant, ut an-
 „tiquus S. Eucharistiæ usus revocetur,
 „& Antistites primis mensium singulo-
 „rum Dominicis diebus, vel sæpius, si
 „fuerint rogati, omnes, qui communi-
 „care volunt, aut debent, convocent,
 „& tum psalmis patrio sermone ab o-
 „mnibus cantatis fidei, ac Generalis
 „peccatorum confessio edatur, nec mi-
 „nus publicæ etiam preces pro Princi-
 „pe, ceterisque Magistratibus Ecclesia-
 „sticis, atque aliis, sicut & pro aeris sa-
 „lubritate, terræ fructibus, ac pro infir-
 „mis persolvantur, ac secundum hæc
 „Evangelistarum, aut B. Pauli locus
 „de S. Eucharistiæ usu prælegatur, &
 „explicetur, & ita ad Communionem
 „sub utraque specie omnes, qui adsunt,
 „recipiantur: porro recens, & nuper
 „inventum Dominici Corporis festum,
 „quod multarum offensionum causam
 „præbet,

„bet, & minime necessarium est, abo-
 „leatur; nam mysterium illud ad ado-
 „rationem, & spirituales cultum, non
 „ad pompam, & spectacula institutum
 „videtur. (*)

Sæcul. XVI.
 A. C 1561.

„Præterea contra institutum hujus
 „Mysterii fit, quod unus tantum Sacer-
 „dos in sacrificio communicet: in ratio-
 „ne etiam colendi Deum requiritur,
 „ut Psalmorum cantus in lingua ver-
 „naacula rursus in usum revocetur. De
 „cetero autem in hoc colloquio Sancti-
 „tatis suæ auctoritas nequaquam impu-
 „gnabitur, nihilque decidetur absque
 „Borbonii, Turnonii, Castillionæi, Lotha-
 „ringii, Armeniaci & Guisii Cardina-
 „lium consilio.

§. XCVI.

*Papa his literis commotus, Lega-
 tumque ad hoc colloquium de-
 cernens.*

Summus Pontifex hac epistola vehe-
 menter commotus perversa, quæ in
 hoc Possiacensi colloquio condi merito
 time-

Pallav. l. 15.
 c. 12. n. 1.

(*) Si reipsa hæc fuit Reginæ opinio, ac
 Possiacensis colloquii sententia, quid de utro-
 que Catholicus sentiat, aliis judicandum re-
 linquo.

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

L

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

timebat, decreta prævertere, totis viribus adlaborabat, eapropter Hyppolitum Estensem Cardinalem Ferrariæ Ducis Fratrem tanquam Sedis Apostolicæ Legatum eo decreverat, dato negotio, ut ad ea, quæ in hoc conventu proponerentur, probe attenderet, ac sedulo præpediret, ne quicquam in Sedis sacræ præjudicium moveretur. Sub idem tempus Pius IV. nullum non movebat lapidem, ut Concilii Oecumenici celebrationem, quam nunc magis, ac unquam necessariam cognoverat, maturaret, jamque ejus Legati die sexta Aprilis Tridentum venerant, ac die decima sequentis Mensis Maji non sine solatio ibidem Bartholomæum de Martyribus Ordinis S. Dominici Religiosum, qui Bracaræ in Lusitania Archiepiscopus, hujus Regni Primas, ac Præful erat sanctitatis eminentia, & profundæ eruditionis fama longe celeberrimus, exceperunt, quinimo summus Pontifex comperto hujus Viri adventu gratulabundus epistolam encomiis plenam ad eos perscripserat.

§. XCVII.

Ferrariensis Cardinalis Legati Pontificii discessus in Franciam.

Insta.

Instabat unice Hippoliti Ferrariensis Cardinalis discessus in Franciam, Sæcul. XVI.
A. C. 1561.
 cujus opera non minus Pontifici ibidem erat necessaria, quam utilis; quippe Vir erat, qui præter singularem in rebus difficillimus feliciter gerendis dexteritatem insuper magna apud Gallos auctoritate pollebat, & quamvis ob Protestantium petulantiam acerbos omnino insultus experiri cogeretur, dextre tamen suam auctoritatem sartam conservabat, ac saltem iis, a quibus odio habebatur, metum ingerens submissionem debitam inspirabat.

